

# Stanisław Góra

---

## De quibusdam fallaciis principii limitationis

---

Collectanea Theologica 21/2-3, 284-358

---

1949

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

STANISŁAW GÓRA

DE QUIBUSDAM FALLACIIS PRINCIPII LIMITATIONIS

BIBLIOGRAPHIA

- R. ARNOU, S. J., *Metaphysica Generalis*, Romae<sup>2</sup> 1941.  
C. BONNET, S. J., *Ontologia*, Wetteren 1923.  
C. BOYER, S. J., *Cursus phylosophiae*, 1, Parisiis.  
A. BREMOND, S. J. *La Synthèse Thomiste de l'Acte et de l'Idée* (art. in *Gregorianum*, 1931, 267 sq.).  
P. DESCOQS, S. J. *Essai Critique sur l'Hylémorphisme*, Paris 1924.  
P. DESCOQS, S. J., *Praelectiones Theologiae Naturalis*, 2, Paris 1935, 704—715.  
P. DEZZA, S. J., *Metaphysica Generalis*, Romae 1945.  
J. de FINANCE, *Etre et Agir dans la philosophie de Saint Thomas*, Paris 1945.  
L. FUETSCHER, S. J. *Akt und Potenz*, Innsbruck 1933.  
R. GARRIGOU-LAGRANGE, O. P., *Applicationes tum physicae tum metaphysicae doctrinae de actu et potentia, secundum S. Thomam* (art. in *Acta I Congressus Thomistici*, Romae 1925, 33 sq.).  
R. GARRIGOU-LAGRANGE, O. P., *La Synthèse Thomiste*, Paris 1947.  
A. GAZZANA, S. J., *Atto e potenza nelle 24 tesi tomiste* (art. in *Divus Thomas*, 1, 1941, Piacenza, 65 sq.).  
P. GENY, *Le problème métaphysique de la limitation de l'acte* (art. in *Revue de Philosophie*, 1919, p. 129 sq.)  
J. GRETT O. S. B., *Elementa philosophiae Aristotelico-Thomisticae*, 2, Friburgi Br. 1912.  
E. HUGON, O. P., *Cursus Philosophiae Thomisticae V, Metaphysica II*, Parisiis.  
E. HUGON, A. P., *Les vingt-quatre thèses thomistes*, Paris 1927.  
P. DE MANDATO, S. J., *Institutiones Philosophicae*, 1, Romae<sup>4</sup> 1925.

- P. G. M. MANSER, O. P., *Das Wesen des Thomismus*, Freiburg (Schweiz) 1932.
- M. DE MARIA, S. J., *Philosophia Peripatetico-Scholastica*, 1, Romae 1892.
- G. MATTIUSI, *Le XXIV tesi della filosofia di S. Tommaso d'Aquino*, Roma 1925.
- N. MONACO, S. J., *Praelectiones Metaphysicae Generalis*, Prati 1913.
- V. REMER, S. J., *Ontologia*, Romae<sup>7</sup> 1932.
- A. ROZWADOWSKI, S. J., *Limitatio actus et potentiae in doctrina S. Thomae* (art. in *Acta Acad. Rom. S. Thomae Aqu.*, 6, 87 sq.).
- A. ROZWADOWSKI, S. J. *De duplici limitatione actus in doctrina S. Thomae* (ib. 8, 209 sq.).

His ultimis temporibus doctrina thomistica ita evolvitur, ut principium limitationis magis atque magis tamquam thesis praecipua ac fundamentalis in metaphysica ponatur. Certissime non ita sentiebant ii thomistae antiqui vel moderni, qui in manualibus ontologiae de isto axioma nec mentionem fecerant. Cuius rei testis est e. g. Gény, qui ita scribit: „Ceterum est etiam progressus possibilis in ipsa Metaphysicae oeconomia: v. g. quaestio de potentia et actu male, i. e. incomplete, tractatur a modernis; sed haud melius exponebatur apud antiquos. Vix unus aut alter sermonem facit de limitatione actus per potentiam, quae tamen thesis est praecipua et fundamentalis in metaphysica“<sup>1)</sup>. Recentiores thomistae fortiter affirmant principium limitationis esse necessario admittendum ad explicandam ipsam possibilitatem intrinsecam entis finiti qua talis. Hoc adagio negato iam non posset iuxta eos refutari error monismi, quia pluralitas entium esset inintelligibilis. Sic e. g. dicit Garrigou-Lagrange: „S. Thomas autem altius hoc principium consideravit secundum abstractionem metaphysicam ad solutionem quaestionum magis universalium de mutabilitate et multitudine omnium entium finitorum etiam mere spiritualium et de infinitate Dei essentialiter a mundo distincti“<sup>2)</sup>. Pro Garrigou-Lagrange principium limitationis debet esse verum, nam „alioquin argumentum Parmenidis a Spinoza renovatum remaneret sine solutione;

<sup>1)</sup> Acta hebdomadae thomisticae, Romae, 1924, 257.

<sup>2)</sup> Acta Primi Congressus Thomistici Internationalis, Romae, 1925, 37.

scilicet esse non potest limitari, diversificari, multiplicari a seipso, sed solum ab alio; atqui praeter esse nihil est. Respondetur: Praeter esse est capacitas realis ad esse, et limitans esse<sup>1)</sup>. Boyer ita in hoc problema introducit: „Iam vidimus doctrina potentiae et actus explicari existentiam mutationum in entibus. Nunc quaerendum venit an ex eadem doctrina ratio haberi possit cur sint gradus entium et quomodo illimitatio gradus supremi et limitationes graduum inferiorum intelligi debeant“<sup>2)</sup>. Secundum Arnou<sup>3)</sup> compositio aliqua ex actu et potentia necessario requiritur „ad explicandam... ipsam possibilitatem entis finiti qua talis“. Revera fundamentale est hoc principium limitationis, si praecipuis conclusionibus, quae ex eo pendent, animum advertimus. Inter has conclusiones enumerantur apud Boyer: „distinctio realis inter essentiam et esse in creaturis, principium individuationis in materia quantitate signata, repositum, distinctio potentialium ab essentia creata, doctrina creationis, infinitas Dei, etc.“<sup>4)</sup>.

Historiam principii limitationis, quod tantam fortunam in neothomismo invenit, hucusque nemo elucubravit. Quam ob rem disputare licet, utrum istud axioma sit platonium, aristotelicum vel pure thomisticum... Secundum Boyer hoc „principium continetur in multis locis Platonis, sicut in Phedone, XLIX, 100; in Convivio, XXIX, 210—211; in doctrina Aristotelis de Actu Puro; et frequenter apud S. Augustinum: v. g. De Trinitate, 1. 8, c. 3, nn. 4—5; De Civitate Dei, 1. II, c. 9—10. Etc.“<sup>5)</sup>. Bremond aestimat illud principium non posse historice explicari per solum Aristotelem, sed esse synthesim thomisticam theoriae participationis Platonis et theoriae actus et potentiae Aristotelis, actui primatum tribuentis<sup>6)</sup>. J. de Finance praemissa brevi investigatione de conceptu limitis et infiniti apud philosophos an-

<sup>1)</sup> Ibidem, 39.

<sup>2)</sup> C. Boyer, S. I., *Cursus Philosophiae*, Parisiis, 1, 331.

<sup>3)</sup> A. Arnou, S. I., *Metaphysica Generalis*, Romae, 2, 1941.

<sup>4)</sup> C. Boyer, S. I., *op. cit.*, 1, 333.

<sup>5)</sup> Ibidem, in nota.

<sup>6)</sup> A. Bremond, S. I., *La Synthèse Thomiste de l'Acte et de l'Idée*, art. in *Gregorianum*, 1931, 267 sq.

tiquos: Parmenidem, Platonem, Aristotelem, Plotinum, Proclum narrat, quomodo in christianismo expurgetur notio infiniti ab antiqua aequivocatione „indeterminationis“ et connectatur cum negatione omnis compositionis atque identificetur cum aristotelica notione actus puri. Deinde concludit principium limitationis debere considerari tamquam elementum proprium thomismi sub hoc titulo, quod S. Thomas currentes iam affirmationes colligat, in sensu realistico interpretetur, earum fecunditatem ostendat <sup>1)</sup>. Patet igitur problema historicum principii limitationis nondum maturuisse ad solutionem.

Ad nos minime omnium pertinet quaestiones historicas principii limitationis dilucidare. Sed licet a historia omnino praescindamus, tamen negamus doctrinam de limitatione actus per potentiam esse aristotelicam hoc sensu, quod sine ea generalis theoria actus et potentiae concipi non possit. Nostro sensu principium limitationis non solum de facto apud Aristotelem non invenitur, sed etiam de iure minime per eius philosophiam postulatur. Aristoteles loquitur quidem de actu, de potentia, de eductione actus e potentia, immo loquitur de limitatione potentiae per actum, sed nullibi loquitur de limitatione actus per potentiam in sensu neothomistarum. Logice autem ex negato principio limitationis actus per potentiam minime sequitur negatio ipsius actus et potentiae. Hinc possibile nobis videtur, ut aliquis illud principium limitationis tamquam falsum reiciat et simul nihilominus primaevam illam doctrinam Aristotelis de actu et potentia retineat. Ratio huius est in eo, quod principium limitationis in explicatione thomistarum implicet infinitatem actus ut sic, dum sola aristotelica distinctio actus et potentiae illam infinitatem actus ut sic nec de facto nec de iure supponat. Lectio praecipuorum textuum Aristotelis de actu et potentia, ad quos provocant thomistae <sup>2)</sup>, facile ostendit. Aristotelem neque

---

<sup>1)</sup> J. de Finance, *Etre et Agir dans la Philosophie de Saint Thomas*, Paris, 1945, 45 sq., 54.

<sup>2)</sup> Cf. v. g. Garrigou-Lagrange, O. P., *La Synthèse Thomiste*, Paris, 1947, 70, citat Aristotelis *Physique* I. I et II et *Metaphysique* I. I, V (IV), IX (VIII).

cogitavisse de thomistico principio limitationis. Nam Aristoteles non admittit postulatum ens de se esse unum, unicum, infinitum, sed econtra adversus Melissum et Parmenidem pluries affirmat ens de se multipliciter dici et non simpliciter <sup>1)</sup>. Cum igitur ens ad mentem Aristotelis de se importet multitudinem et diversitatem cumque illimitatio sit pro eo signum imperfectionis et incognoscibilitatis, patet problema limitationis entis apud Aristotelem neque poni. Factum pluralitatis, diversitatis, hinc et limitationis entis, quae in pluralitate ac diversitate implicatur, est pro Aristotele ita evidens et primum, ut ex nullis praemissis deduci indigeat. Non possibilitatem intrinsecam facti pluralitatis, diversitatis et finitudinis rerum deducere conatur Stagirita, sed hac possibilitate a priori supposita veritatem facti contra illusionismum eleaticum defendere vult obiciendo Parmenidi et consertibus illusionismum esse falsum, cum falso supposito nitatur et etiam falso, nempe illogice, concludatur. Parmenides supponit a priori quod est contra experientiam — ens dici simpliciter (ἀπλως) et inde deducit pluralitatem et diversitatem esse irreallem. Aristoteles econtra supponit a priori — quod non est contra experientiam — ens dici multipliciter (πολλαχως) et inde infert deductionem parmenideam vi carere. Quae cum ita sint, patet in qua sententia ponatur problema limitationis, multiplicationis et diversificationis entis et in qua sententia non ponatur. Nempe problema hoc non oritur nisi in supposito eleatico, in quo tamen aliter solvi nequit nisi per illusionismum. In supposito aristotelico autem nec ponitur nec solvitur, quia nec poni nec solvi indiget: scilicet ens de se dicitur „multipliciter“, ergo ens de se admittit multiplicationem diversificationem et proinde limitationem saltem in uno multiplicatorum et diversificatorum. Consequenter dicendum est quaestionem thomisticam de limitatione praeterquam in supposito eleatico poni non posse. Revera, neothomismus non in positione problematis differt ab eleatismo, <sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> „πολλαχως λέγεται τὸ ὄν“. Aristoteles, Phys. I, 2, 185a 21; „ψευδής μιν (ὁ Παρμενιδής) ἢ ἀπλως λαμβάνει τὸ ὄν λεγέσθαι λεγομένου πολλαχως“. Ibidem, 186, 24—25; „Ὅδδὲν ἕμως κωλύει πολλὰ εἶναι τὰ ὄντα“. Ibidem, 187a 8.

sed tantum in huius problematis tentata solutione. Scilicet neo-thomismus sperat problema eleatice positum posse solvi thomistice, dummodo applicetur hic aristotelica distinctio inter actum et potentiam. Secundum nos problema, si eleatice ponitur, tantum eleatice resolvi potest; si econtra problema eleatice non ponitur, eo ipso evadit otiosum ac omnino evanescit.<sup>1)</sup> Admisso propter experientiam supposito Aristotelis ens de se dici multipliciter, veritas pluralitatis, diversitatis et limitationis entis fit per se nota quoad se et quoad nos. Tunc saltem quoad nos non est tam quaestio de interna possibilitate entis finiti qua talis, quam potius de interna possibilitate entis infiniti qua talis. Secundum thomismum autem debet esse per se notum quoad se et quoad nos infinitum esse intrinsece possibile et econtra explicari debet, utpote per se ignotum, finitum.

Explicatur vero iuxta thomismum finitum qua tale solummodo reali compositione ex actu de se infinito et potentia hunc actum finiente. Sed si quid nostri iudicii est, abutitur hic thomismus aristotelica distinctione inter actum et potentiam. Nam Aristoteles distinguit inter actum et potentiam non propter explicandam limitationem entis, quae pro eo nullum problema constituit, sed per se propter explicandum fieri. Iuxta Aristotelem debet utique admitti compositio realis ex actu et potentia, ubicumque accidit  $\tau\theta$  fieri. Ubi tamen non observatur  $\tau\theta$  fieri, ibi non est sine ratione supponenda compositio realis ex actu et potentia. Iamvero finitudo qua talis non videtur ratio sufficiens in aristotelismo pro admittenda compositione reali ex actu et potentia. Proinde genuinus Aristotelismus permittit concipere aliquod ens simpliciter finitum, quod in linea suae finitudinis non sit realiter compositum ex actu et potentia, cum in illa linea finitudinis nullum detur fieri. Consequenter non videtur repugnare secundum aristotelismum vel aliquis motor immobilis, qui sit simpliciter finitus, licet nulla sit in eo compositio realis ex

---

<sup>1)</sup> „La vision intellectuelle dont procède le principe de la limitation de l'acte est celle-là même qui marque le point de départ de la spéculation éleatique...“. J. de Finance, op. c., 45.

actu et potentia,<sup>1)</sup> vel saltem non videtur repugnare substantia simpliciter finita, quae sit immobilis in ordine essentiae et in ordine entis et moveatur solummodo in ordine accidentis. In hic ultimo casu finitudo talis substantiae praecederet saltem prioritate naturae quamcumque compositionem realem ex actu et potentia, ergo esset ab ea independens et per eam explicari non posset.

Ut compertum est, ipsam distinctionem inter actum et potentiam introduxit Aristoteles imprimis ad explicandum motum realem contra duas opiniones inter se oppositas, scil. contra eleatismum et heraclitismum. Eleatismus affirmat neque fieri quidquam neque corrumpi, „propterea quod necesse est quidem, omne quod fit, aut ex ente aut e non ente fieri generarique, neutrum autem esse potest. Neque enim fit id quod est; iam enim est. Et ex non ente nihil fieri potest; aliquid enim subiciatur oportet“<sup>2)</sup>).

Aristoteles duplici modo conatur solvere hanc difficultatem.<sup>3)</sup> Uno modo per comparisonem entis et medici distinguit fieri per se et per accidens. Nempe concedit quidem ens per se neque fieri ex ente neque ex non ente, sed simul tenet ens per accidens fieri tum ex non ente (i. e. ex privatione) tum ex ente (i. e. hoc ens ex quopiam ente). In hoc primo modo solutionis Aristoteles evidenter nititur praesupposito ens de se esse intrinsece diversificatum.

Altero modo solvit Aristoteles dilemma eleaticum praecise ope distinctionis inter potentiam et actum. Quae distinctio iterum non est dicenda causa diversificationis intrinsecae entis, sed econtra effectus et particularis fructus istius diversificationis, ipsum fieri tamquam unum particularem casum huius praeviae diversificationis entis explicans. Hic igitur secundus modus solutionis consistit in eo, quod ens neque fit ex ente actu

---

<sup>1)</sup> Infinitas dinamica primi motoris apud Aristotelem significat forte solum transcendentiam relate ad quantitatem. J. de Finance, op. c. 49.

<sup>2)</sup> Aristoteles, Phys. I, 8, 191a 24<sup>b</sup>-32.

<sup>3)</sup> Ibidem, 49 sq.



neque ex non ente simpliciter, sed ex ente potentia quod est non ens actu.

Si obiectio eleatica et responsum aristotelicum attente leguntur, patefit, ad quem finem distinctio inter potentiam et actum ab Aristotele introducta sit et ad quem finem non sit introducta. Nempe non propter salvandam diversificationem entis necessaria est distinctio actus et potentiae, nam diversificationem entis Aristoteles praesupponit, dum affirmat ens dici „multipliciter“. Sed distinctionem hanc propugnat, ut inter entia multa etiam  $\varnothing$  fieri locum haberi possit. In rigore terminorum sine potentia et actu non posset utique concipi  $\varnothing$  fieri, sed posset bene concipi pluralitas, diversitas et limitatio entium immobilium. Aristoteles enim non admittit postulatum eleaticum ens ut sic dici „simpliciter“, i. e. univoce, ideoque nefas est imputare ei ideam, quam, suam faciunt thomistae ens ut sic esse infinitum proindeque exigere limitationem, diversificationem, multiplicationem ab alio.

Si Aristoteles infinitatem actus ut sic admisisset, tunc certo certius hoc alicubi expressis verbis dixisset sive occasione explicationis terminorum „actus“ et „potentiae“ sive occasione analysis motus. Iamvero nullibi Aristoteles hoc fecit. Nomen „actus“ desumit Aristoteles ex motibus: „Nomen vero actus qui ad entelechiam annectitur, advenit etiam in aliis, maxime ex motibus, videtur etenim maxime motus actus esse“. <sup>1)</sup> Contra Megaricos dilligenter distinguit potentiam ab actu et realitatem potentiae ostendit. <sup>2)</sup> Sic v. g. iuxta Aristotelem negata potentia aedificandi aedificator non esset aliquis nisi actu aedificet. Negata potentia non essent sensibilia extra actum sentiendi, „nec enim frigidum neque calidum neque dulce nec omnino ullum sensibile erit non sentientibus“, quod ad opinionem Protagorae duceret. Negata potentia sentiendi homo esset dicendus caecus vel surdus saepius in eodem die, prout cessaret exercere actus vivendi vel loquendi. Negata potentia simpliciter impossibilia

---

<sup>1)</sup> Aristoteles, *Metaphys.* VIII, 3, 1047a 30—33.

<sup>2)</sup> *Ibidem*, 8, 3, 1046b 29 — 1047a 20.

essent, quae actu non sunt. „Unde illae orationes et motum et generationem perimunt. Semper etenim et quod stat stabit, et quod sedet sedebit. Si enim sedet, non surget; impossibile namque erit surgere, quod non est possibile surgere. Quodsi non est possibile ista dicere, manifestum est quod potentia et actus aliud et aliud est“. Proprie et non aequivoce loquendo, potentia potest iuxta Aristotelem appellari principium agendi vel patiendi <sup>1)</sup>).

Per oppositionem ad potentiam explicare satagit Aristoteles, <sup>2)</sup> quid sit actus: „Est autem actu rem existere, non ita quemadmodum dicimus potestate. Dicimus autem potestate, ut in ligno Mercurium et in tota dimidiam, eo quod auferri possit; et scientem etiam illum qui non speculatur, modo speculari possit“. Definiri ulterius actus non potest, ergo tantum per inductionem in singularibus et per proportionem explicari debet. V. g. actus ita se habet ad potentiam, sicut „aedificans ad aedificativum et vigilans ad dormiens et videns ad connivens, habens tamen visum, et segregatum a materia ad materiam, et elaboratum ad inelaboratum“.

Hucusque Aristoteles non dixit ad essentiam actus pertinere infinitatem. Sed forte hanc infinitatem in actu ut sic supponit Aristoteles dum analysim motus facit? Operae pretium est ipsum Aristotelem legere: „Cum autem fieri multis modis dicatur, et quaedam non absolute fieri sed hoc aliquid fieri, quaedam simpliciter fieri dicatur, quod quidem solis substantiis competit, in ceteris quidem patet, aliquid, ipsum inquam fiens, necessario subiici. Nam et quantum et quale et ad aliquid et quando et ubi fit aliqua re subiecta, propterea quod substantia sola de nullo subiecto dicitur alio, cetera autem universa de substantia ipsa dicuntur. At substantiam etiam et quaecumque alia simpliciter sunt, ex subiecto fieri aliquo patefiet sane dilligenter consideranti. Semper enim est aliquid quod subiicitur, ex quo generatur id quod fit. Plantae namque et animalia ex semine

<sup>1)</sup> Ibidem, 8, 1, 1045b — 1046a.

<sup>2)</sup> Ibidem, 8, 6, 1048a, b.

fiunt. Eorum autem quae fiunt simpliciter, quaedam transfiguratione fiunt ut statua ex aere; quaedam additione, ut ea quae incrementa suscipiunt; quaedam ablatione, ut e lapide Mercurius; quaedam compositione, ut domus; quaedam alteratione, ut ea quorum immutatur materia. Atque patet ex subiectis omnia fieri, quae hoc pacto fiunt. Quare patet ex dictis, omne quod fit semper compositum esse. Atque est quidem aliquid quod istud fit“. Breviter: Aristoteles vult monstrare in omni mutatione adesse tria principia: subiectum nempe et duo contraria, v. g. hominem qui ex immusico fit musicus. Magis seipsum explicando dicit Aristoteles principia per se mutationum rerum naturalium esse duo subiectum nempe et formam, sed praeterea accedere ex parte subiecti tertium principium per accidens nempe privationem, v. g. informitatem, inordinationem, vacuitatem figurae in auro, lapide, aere. Ideo iuxta Aristotelem patet unum subiectum commune debere subiici duobus contrariis ita tamen, ut unum contrariorum etiam sufficiat ad faciendam absentia praesentiaeque sui mutationem.<sup>1)</sup>

Ex his patet secundum Aristotelem in omni motu distinguendum esse inter subiectum et formam. Subiectum potest appellari potentia, forma autem vocabitur actus.<sup>2)</sup> Ipse motus qua talis, seu transitus ex potentia ad actum, etiam debet designari nomine actus, sed actus imperfecti („Actus entis in potentia prout huiusmodi“.<sup>3)</sup> Utique hi conceptus actus et potentiae etsi ex motu sensibili directe sumuntur, tamen latius patent, quam ipse motus sensibilis.<sup>4)</sup> Licetne igitur inde concludere doctrinam aristotelicam de actu et potentia exigere seu postulare infinitatem actus ut sic?

Minime gentium. . Certe theoria haec metaphysice elaborata ac „generalisata“ non excludit possibilitatem alicuius actus infiniti, sed tamen non exigit, ut omnis actus seu actus ut sic

<sup>1)</sup> Aristoteles, Phys. I, 7, 190a 31 — 191a 20.

<sup>2)</sup> Ibidem, IV, 9, 217a 21 sq.

<sup>3)</sup> Ibidem, 3, 1—2, 200b—201a, b.

<sup>4)</sup> Aristoteles, Metaphys. VIII, 1, 1046a 1—2.

concipiatur ut infinitus finiendus demum per correlativam potentiam. Fieri seu transitus ex potentia ente ad ens actu non postulat, ut illud ens actu sit de se infinitum. Idea limitationis actus infiniti per potentiam subiectivam non invenitur in primordiali divisione aristotelica entis in actum et potentiam, sed oritur unice ex concesso praesupposito scholae eleaticae actum essendi dici simpliciter.

Ceterum parvi refert, utrum doctrina thomistica de limitatione conciliari cum authentico aristotelismo possit, necne. Abstractione facta a historia intendimus solummodo hanc doctrinam in seipsa sub aspectu metaphysico considerare. Volumus videre, num thomisticum principium limitationis bene cohaereat cum communiter admissis principiis philosophiae scholasticae. In re tam magni momenti, ubi revera parvus error in principio magnus est in fine, denuntianda est omnis fallacia. Quaedam fallaciae thomisticae iam dudum detectae sunt a non paucis scholasticis adversariis thomismi. Recentissimi auctores thomistici non videntur sufficienter respondisse ad difficultates propositas. Quam ob rem utile fore iudicamus principaliores fallacias, quas patroni principii limitationis committunt, denuo colligere ac denuntiare. Tangimus tantum quasdam fallacias, non mathematice omnes, scil. eas, quae videntur evidentiores et obviae. Principium laborans vel una fallacia stricte dicta nequit esse verum, quare nimis multiplicare obiectiones contra thomisticum principium limitationis non obligamur. Disputatio nostra habebit duas partes: in prima parte conabimur quam fidelissime proponere doctrinam thomisticam de limitatione et in secunda parte tentabimus praecipuas fallacias thomistarum indicare. Per doctrinam thomisticam intelligimus doctrinam, quae apud quosdam notiores et nobis accessibiles thomistas recentiores traditur. Quaedam fallaciae sunt ita inseparabiles tum ab ipsa positione problematis tum ab eius solutione, ut non obstantibus particularibus differentiis apud omnem defensorem principii limitationis apparere debeant. Proinde per refutationem quorundam thomistarum nominatorum omnes, etiam non nominatos, refutare speramus.

## P A R S P R I M A

## DOCTRINA THOMISTICA DE LIMITATIONE ACTUS.

## 1. CONCEPTUS ACTUS ET POTENTIAE

Ut rite intelligatur thomisticum principium limitationis, explicandi sunt tres conceptus: actus, potentia, limitatio. Notandum est nunc in schola thomistica vituperari auctores, qui contenti solis definitionibus nominalibus et enumerationibus axiomaticum non dicunt, cur has definitiones et haec axiomata admittere necesse sit.<sup>1)</sup> Ideo optimae notae thomistae moderni descendunt usque ad Aristotelem et ex eius scriptis ostendunt, quomodo per oppositionem ad eleatismum et heraclitismum orta sit eius celebris theoria distinguens in ente inter actum et potentiam, ut motus qua talis intelligibilis reddatur utque — per extensionem — ope horum duorum conceptuum omnia, etiam immobilia exprimantur. Hanc methodum, quam valde commendat v. g. Garrigou-Lagrange,<sup>2)</sup> sequuntur inter alios Boyer, Arnou, Dezza in suis manualibus *Metaphysicae Generalis*. Sic v. g. Dezza<sup>3)</sup> loquitur primum paucis verbis de sententia parmenidea et heraclitea-hegeliana et deinde proponit sententiam aristotelico-thomisticam ita: „Neque fieri est contradictorium neque esse; antinomiae enim, quarum altera a Parmenide ponitur in motu, altera ab Hegel in esse, solvuntur si ens mobile intelligitur non ut realitas simplex, sed constans ex duplici principio, actu et potentia, qua compositione intelligibilis fit entium sive mutatio sive multiplicato. Etenim in omni mutatione (motus enim ita sumitur ut omnes mutationes complectatur) tria distinguenda sunt: terminus a quo procedit motus (v. g. cubus cerae) et terminus ad quem pervenit motus (sphaera cerae) et subiectum quod transit a termino a quo ad terminum

---

<sup>1)</sup> Cf. Garrigou-Lagrange, op. cit., 70.

<sup>2)</sup> Acta hebdomadae thomisticae Romae 1924, 247, 249; Acta Primi Congressus Thomistici Internationalis, 33; Garrigou-Lagrange, op. cit., 70.

<sup>3)</sup> P. Dezza, S. I., *Metaphysica Generalis*, Romae 1945, 104 sq.

ad quem (cera); non enim est motus mera successio terminorum (prout accidit in cinematographo), sed modificatio alicuius subiecti quod successive fit aliud et aliud, id est amittit aliquam determinationem (forma cubica) ut novam acquirat (forma sphaerica), cuius novae determinationis capax erat, sed nondum eam habebat. Determinationes quae in mutatione acquiruntur vel amittuntur, vocantur *a c t u s*; subiectum vero capax harum determinationum, quas successive acquirat vel amittit, vocatur *p o t e n t i a*. Inde sequitur ens mutabile esse compositum ex potentia et actu. Illud igitur quod de novo fit, non fit ex nihilo, quia revera ex nihilo nihil fit a causis naturalibus; neque fit ex ente actu, quia quod iam est non fit; sed ex ente potentia, ideoque motus est *t r a n s i t u s d e p o t e n t i a a d a c t u m*. Statua v. g. non fit ex nihilo neque ex statua iam facta, sed fit ex marmore quod est potentia statuae. Potentia enim non est nihil, nec purum quoddam negativum nec mera negatio determinationis, sed *p o s i t i v a c a p a c i t a s* alicuius determinationis. Inde solvitur antinomia Parmenidis ostendendo motum non involvere contradictionem. Neque contradictio datur in esse, ut vult Hegel asserens omne ens suum contrarium continere et cum eo identificari; non enim simpliciter acidum est basis vel semen est arbor etc., sed acidum-actu est basis-potentia, et semen-actu est arbor-potentia etc.; quae omnia contradictionem non involvunt. Tunc recte explicari possunt locutiones hegelianae, quod ens mobile quodammodo *c a r e t s e i p s o* id est perfectione quadam quae ei convenit, ad quam ordinatur et ad quam tendit, quia eam non habet; cum tamen non possit novam determinationem acquirere quin amittat contrariam, desinit esse quod erat, id est, quando fit se relinquit, seipsum negat. Inde orta est celeberrima doctrina de actu et potentia quae veluti anima est metaphysicae aristotelico-thomisticae“.

Tali modo origine theoriae actus et potentiae explicata procedunt auctores nominati ad adaequatiorem explicationem notionum actus et potentiae et earum divisionem. En expositio apud Dezza: „Notiones actus et potentiae desumuntur, ut diximus, ex motu: etenim quando videmus aliquid moveri seu mutari

v. g. aquam calefieri, statim intelligimus motum in eo consistere quod aqua, quae non erat calida, sed poterat calida fieri, accipit calorem quem non habebat sed poterat habere, et accipit quidem non a seipsa, nam „nemo dat quod non habet“, sed ab alio, nempe ab igne, qui utpote calidus, potest calorem in alio producere. Dicimus igitur calorē esse actum seu perfectionem novam in aqua productam, aquam habere potentiam recipiendi calorem, imo strictius esse *potentiam* (passivam) seu capacitatem caloris recipiendi, ignem autem, quia iam habebat perfectionem seu actum caloris, habuisse etiam potentiam producendi calorem imo strictius esse *potentiam* (activam) caloris producendi. Actus igitur est, vi vocis, *perfectio* producta in subiecto apto, per extensionem autem, *quaelibet perfectio* sive producta in subiecto sive producta sine subiecto sive etiam non producta...

Deinde declaratur apud Dezza conceptus potentiae ita: „*Potentia* autem est *capacitas* (intellige sensu concreto: aliquid capax) *perfectionis* sive producendae (*potentia activa*), sive recipiendae (*potentia passiva*). *Potentia passiva* dicitur etiam: *subiectiva* quia est subiectum actus qui in ea recipitur et illam determinat. Marmor v. g. est de se indifferens ad hoc quod sit mensa vel statua, statua sacra vel profana; est subiectum capax huius vel illius formae; sculptor autem (*potentia activa*) per formam statuae, quam prius mente concipit et postea in marmore producit, marmor determinat ad hoc quod hanc personam repraesentet. Actus et potentia, ad quae ducit consideratio tou fieri, seu mutationis realis, sunt entia realia, realiter distincta, siquidem potest unum ab altero seperari; et revera ante mutationem potentia erat a suo actu separata“.

Admonet Dezza, ne confundatur potentia subiectiva, obiectiva et logica: „Possunt etiam distingui actus et potentia ubicumque duae rationes, quas mens format, se habent ad invicem ut determinabilis et determinans; sunt potentia et actus in ordine *logico*; genus v. g. se habet ad differentiam ut potentia ad actum (animal et rationale) licet non realiter ab ea distinguatur.

Aliquando etiam res mere possibilis vocatur potentia respectu sui ipsius prout actu existit. Haec potentia, quae nihil aliud est ac pura capacitas existendi seu rei possibilitas, dicitur *potentia obiectiva*, ut distinguatur a *potentia subiectiva* de qua potissimum est quaestio in metaphysica. Patet inter potentiam subiectivam, obiectivam, et logicam, analogiam quandam existere; et satis est de duabus ultimis factam esse mentionem ita ut non confundantur cum prima. Si quis enim non bene distinguit v. g. potentiam obiectivam (quae nihil actu est) a potentia subiectiva (quae est medium inter nihil et actum) et nescit sibi efformare conceptum aliquem, sane difficilem, potentiae subiectivae, fere nihil intelliget huius tractatus de actu et potentia“.

Dezza ulterius indicat in male intellecta notione potentiae radicem multorum errorum et falsum conceptum potentiae praesertim Suarezio obicit: „Pervenisse ad clarum conceptum potentiae subiectivae, (quem iam Plato aliquando intuitus erat) realitatis mediae inter nihilum et actum, est gloria Aristotelis, quem secuti sunt maximi Doctores philosophiae scholasticae, praesertim S. Thomas. Defectus vero huius conceptus erroris parmenidei fuit origo sicut et multorum errorum qui renovantur in decursu temporum; in ipsa philosophia scholastica quando hic conceptus obscuratur, metaphysica paulatim deficit. Clarum potentiae subiectivae conceptum non habuit v. g. Suarez ut ex eius scriptis apparet, qui (in Disp. Metaph. 31, s. 3) agens de divisione entis in actum et potentiam, affirmat ens in actu et ens in potentia in creaturis immediate et formaliter distingui tanquam ens et non ens simpliciter (praeamb.), ex quo „principio et fundamento“ eruit quod „illa potentia obiectiva non possit esse aliqua vera et positiva res in ipsa re, quae in potentia dicitur“ (n. 3). Quae omnia vera sunt si de potentia *obiectiva* agitur, at non amplius vera si ad potentiam subiectivam applicantur cum Suarez qui prosequitur: „ens in potentia ut sic non dicere statum aut modum positivum entis, sed potius praeter denominationem a potentia agentis, includere negationem, scilicet quod nondum actus prodierit a tali potentia; ideo enim in potentia esse dicitur



quia nondum exivit in actum“ (ibid.). Nos contra affirmamus potentiam non esse meram negationem actus, sed capacitatem recipiendi actum, quae realitas positiva est; est minus ens quam actus, attamen non est nihil. Quodsi potentia realis negetur et realis mutatio videtur logice neganda, cum nihil remaneat in ente, unde sit intrinsece determinabile et mutabile...“

Intellectis iam notionibus actus et potentiae videamus nunc praecipuas earum divisiones. Sequamur hic iterum Dezza: „a) Actus potest esse purus et non purus. *A c t u s p u r u s* non est nisi perfectio: quare nec ullam prorsus dicit ex parte sua potentialitatem aut capacitatem, nec ordinem ad ullam potentiam a qua recipiatur atque limitetur; huiusmodi est Deus. *A c t u s n o n p u r u s* ita dicit perfectionem ut admixtam habeat potentialitatem et potest esse irreceptus vel receptus.

b) *A c t u s i r r e c e p t u s* (relative purus) est actus qui in nulla potentia, ut in subiecto, recipitur; v. g. essentia angelica. *A c t u s r e c e p t u s* est actus qui in aliqua potentia recipitur, et potest esse entitativus vel formalis.

c) *A c t u s e n t i t a t i v u s* est esse, a quo ens denominatur; ideo dicitur entitativus. *A c t u s f o r m a l i s* est pars determinativa essentiae, ad modum quo forma statuae determinat materiam; et hac de causa dicitur formalis.

d) *A c t u s f o r m a l i s* potest esse primus vel secundus. *A c t u s p r i m u s* alium actum non praesupponit, sed tantum potentiam; talis actus dicitur forma substantialis, v. g. anima. *A c t u s s e c u n d u s* supponit primum; sicut accidens respectu substantiae, v. g. albedo.

e) Actus primus seu formalis substantialis potest esse subsistens vel non subsistens. *A c t u s s u b s i s t e n s* potest absque materiae aut subiecti consortio esse, ut anima humana. *A c t u s n o n s u b s i s t e n s* nequit sine materia aut subiecto existere; quare non ipse proprie est, sed compositum; ita anima bruti“.

Potentiae vero potissima divisio est haec apud Dezza:

„a) *P o t e n t i a a c t i v a* est principium aut capacitas agen-

di, quae revera est actus. *P o t e n t i a p a s s i v a* est principium aut capacitas patiendi seu recipiendi, et opponitur actui.

b) *Potentia passiva* potest esse pura et non pura. *P o t e n t i a p u r a* nullum actum habet (et est materia prima). *P o t e n t i a n o n p u r a* actum in aliquo ordine habet, et potest alium suscipere, ut essentia corporea relate ad esse“.

Utile est addere hic divisionem potentiae in naturalem et obediencialem, de qua loquitur Dezza sic: „*p o t e n t i a n a t u r a l i s* est illa quae virtute naturali potest reduci in actum; potentia obediencialem est illa quae tantum per virtutem divi-  
nam potest reduci in actum: v. g. anima hominis habet potentiam obediencialem ad gratiam sanctificantem, ad quam a Deo solo elevari potest cum omnes exigentias naturales superet“.

## 2. PRINCIPIA DE ACTU ET POTENTIA

Cum actus et potentia sint secundum nostrum modum concipiendi notiones correlativae, quaeri solet, quae relationes inter eas intercedant. Hae relationes exprimuntur in variis „assertis“, sive „axiomatibus“, sive „principiis“. Si comparantur auctores thomistici (in manualibus ontologiae), patet non de omnibus „principiis apud eos esse expresse sermonem. Quidam enumerant plura asserta quidam pauciora, nec certe eadem asserta absolute iisdem verbis proponuntur atque probantur. Sed in genere quoad rem ipsam — si paucae differentiae excipiantur v. g. quaestio de duplici modo limitationis actus — regnat in schola neothomistica visibilis unanimitas in agnoscendis his adagiis.

Nobis non de omnibus principiis de actu et potentia agendum est, sed tantum de principio limitationis actus. Sufficit ergo, ut ipsa haec asserta simpliciter, eorum declarationem ac probationem omittendo, enumeremus; quaedam ex iis cum ipso principio limitationis arctius iunguntur. Ponimus hic has assertiones secundum ordinem datum a Dezza: -

## a) De prioritare actus respectu potentiae.

Actus et potentia non possunt definiri, sed tantum declarari: potentia vero nequit declarari nisi per actum; ergo actus est prior potentia in ordine logico.

Actus non praecedit tempore potentiam si in eodem subiecto spectetur, absolute autem actus est prior saltem natura, qualibet potentia; ergo actus est prior potentia in ordine ontologico.

In quolibet genere actus est nobilior potentia; ergo actus est prior potentia in ordine dignitatis.

## b) De distinctione inter actum et potentiam.

Actus et potentia in quo ordine inveniuntur, in eo distinguuntur: realiter in ordine reali, logice in ordine logico.

Idem secundum idem nequit simul esse actus et potentia, potest autem secundum diversa.

## c) De limitatione actus per potentiam.

Potentia specificatur per actum et ab eo perficitur.

Actus non limitatur nisi per potentiam, proinde in quo ordine est irreceptus, est infinitus.

Actus non multiplicatur nisi per potentiam, proinde in quo ordine est irreceptus, est unicus.

Actus irreceptus et actus receptus nequeunt in specie univoce convenire.

## d) De compositione ex actu et potentia.

Actus et potentia ita dividunt ens ut quidquid est, aut sit actus purus aut compositum ex actu et potentia.

Actus et potentia recte dicuntur principia entis.

Omne ens mutabile est compositum ex actu et potentia; ens prorsus immutabile est purissimus actus.

Actus et potentia referuntur ad invicem transcendentaliter immediate.

Actus et potentia sunt in eodem genere.

Ex duobus entibus actu nequit fieri unum per se.

e) De actu et potentia in ordine  
ad operationem.

Quidquid quomodocumque agit in tantum agit in quantum est in actu.

Quidquid quomodocumque patitur, in tantum patitur in quantum est in potentia.

Potentia activa non contradistinguitur ab actu sed fundatur in eo; potentia autem passiva distinguitur contra actum.

Nihil reducitur de potentia in actum nisi per aliquod ens in actu.

Omnis motus supponit aliquid immobile.

### 3. FORMULA PRINCIPII LIMITATIONIS

Ex hisce adagiis attentionem nostram imprimis attrahit principium c), tractans de limitatione actus. Quae est eius exacta formula? Thomistae libenter utuntur formula S. Thomae: „Nullus actus invenitur finiri nisi per potentiam quae sit eius receptiva“ (Comp. theol. c. 18) et alia aequivalente: „Actus nullo receptus, nullo terminatur“ (C. Gent. I, c. 43).

In celebribus XXIV thesibus<sup>1)</sup> formulam principii limitationis dat thesis II, quae ita sonat: „Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quae est capacitas perfectionis. Pronde in quo ordine actus est purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus existit; ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem“. De Maria<sup>2)</sup> dicit sic: „Perfectio actus limitatur a potentia in qua recipitur, ideoque actus omnino irreceptus complectitur omnes essendi nobili-

<sup>1)</sup> Acta Apostolicae Sedis, 6 (1914), 384.

<sup>2)</sup> Philosophia Peripatetico-Scholastica, Romae 1892, 1, 422.

tates et est absolute infinitus perfectione: actus vero in aliquo ordine irreceptus continet omnem illius ordinis perfectionem, et non est in illo ordine multiplicabilis“. Hugon <sup>1)</sup>: „Actus in eo ordine in quo est actus limitatur tantum ex potentia subiectiva“. Gredt <sup>2)</sup>: „Potentia per seipsam limitatur, actus autem limitari nequit, nisi quatenus vel est actus alicuius potentiae, in qua recipitur, vel est potentia ad actum superioris ordinis“. Remer-Gény <sup>3)</sup>: „Potentia per seipsam limitatur; actus autem limitari nequit nisi quatenus vel est actus alicuius potentiae in qua recipitur, vel est potentia ad actum superioris ordinis“. De Mandato-Boyer <sup>4)</sup>: „Actus limitatur tantum per potentiam subiectivam in eo ordine in quo est actus“. Boyer <sup>5)</sup>: „Actus, in quo ordine est actus, non limitatur nec multiplicatur nisi recipiatur in potentia subiectiva; ac proinde in quo ordine est purus (irreceptus), est infinitus et unicus“. Arnou <sup>6)</sup>: „Actus, in eo ordine in quo est actus, limitatur tantum per potentiam in qua recipitur“. Dezza <sup>7)</sup>: „Actus non limitatur nisi per potentiam, proinde in quo ordine est irreceptus, est infinitus“.

Ad has assertiones notandum est: 1) In his assertionibus saepe exprimitur principium limitationis simul cum suis corollariis. 2) Iam in ipsa formula limitationis manifestatur discrepantia auctorum quoad questionem de uno vel duobus modis limitationis. 3) Omnes thomistae conveniunt in hoc, quod unica ratio limitans actum est potentia (realiter distincta secundum unos, etiam logice distincta secundum alios).

---

<sup>1)</sup> *Cursus Philosophiae Thomisticae V. Metaphysica II, Parisiis, 1908, 46.*

<sup>2)</sup> *Elementa Philosophiae Aristotelico-Thomisticae, Friburgi 1912, 42.*

<sup>3)</sup> *V. R e m e r, S. I., Ontologia (ed Gény, S. I.), Romae 7, 1932, 33.*

<sup>4)</sup> *P. D e M a n d a t o, S. I., Institutiones Philosophicae, Romae 4, 1925, I, 335.*

<sup>5)</sup> *op. cit., I, 333.*

<sup>6)</sup> *op. cit., 36.*

<sup>7)</sup> *op. cit., 118.*

## 4. CONCEPTUS LIMITATIONIS

Ex tribus conceptibus, quibus constat principium limitationis, iam duo, i. e. conceptus actus et potentiae, sunt declarati. Nunc quaeritur, quid iuxta thomismum significet „limitatio“, resp. „limitare“, resp. „limes“. Generatim loquendo, conceptus limitationis negligitur a thomistis et potius ut „per se notus“ supponitur ab iis, quando quaestionem de limitatione actus movent. Plurimi contenti sunt dicere litem, limitationem includere „imperfectionem“ vel „negationem“. Verba: „limes“, „limitatur“, „negatio“, „imperfectio“, „compositio“, „potentia“ promiscue usurpant, ac si synonyma essent. Sic v. g. Dezza <sup>1)</sup> scribit: „potentia enim est limes qui limitat actum, ut in pr. 7 dicemus, at limes proprie non limitatur“. Conceptum limitis explicat Liberatore <sup>2)</sup> ita: „cum limes sit ulterioris perfectionis carentia“. Hugon <sup>3)</sup> dicit similiter: „limes est amplioris perfectionis negatio“. Abundantior est Arnou, qui rem ita declarat <sup>4)</sup>: „Limitari est contineri intra limites. Ens quoddam est limitatum, vel quia non habet totam perfectionem sui gradus, vel quia perfectionem suam quamvis totam habeat, non tamen habet secundum omnem modum, cum eadem perfectio ab aliis participetur, vel quia non habet omnem perfectionem possibilem...“. Sed ex nobis notis auctoribus thomisticis conceptum limitationis dilucidare maxime laboravit Rozwadowski <sup>5)</sup>. Iuxta Rozwadowski <sup>6)</sup> paulo aliter sumitur limitatio secundum vulgarem modum loquendi quam in lingua philosophica S. Thomae. Secundum sensum communem, dicit Rozwadowski, limitatio est „omnis et sola negatio perfectionis in aliquo subiecto (praesertim negatio

<sup>1)</sup> Ibidem.

<sup>2)</sup> M. L i b e r a t o r e, S. I., Institutiones philosophiae, Romae, 1861, 2, 104.

<sup>3)</sup> E. H u g o n, O. P., op. cit., 183.

<sup>4)</sup> A. A r n o u, S. I., op. cit., 36.

<sup>5)</sup> A. R o z w a d o w s k i, S. I., Limitatio actus et potentiae in doctrina S. Thomae art. in Acta Academiae Romae S. Thomae Aqu. 6, 87 sq.; De duplici limitatione actus in doctrina S. Thomae ibid. 8, 209 sq.

<sup>6)</sup> Ibidem, 6, 92.

ulterioris perfectionis“). Secundum sensum autem philosophicum S. Thomae limitatio est mutua causalitas materiae, et formae, seu actus et potentiae, praesertim terminative sumpta, scil. ipsa mutua dependentia materiae et formae. Inde in terminologia philosophica S. Thomae (in Summa Theol. I, q. 7, a. 1) est sermo de limitatione actus, quae est imperfectio et de limitatione potentiae per actum, quae est perfectio, dum in usu communi et vulgari dicatur solummodo de limitatione, quae est imperfectio. Rozwadowski non fatigatur repetendo etiam limitationem — perfectionem supponere imperfectioem in ipsa potentia. Praeterea non inutiliter videtur distinguere limitationem principiative seu causaliter sumptam et limitationem terminative et effective sumptam. Notandum est tamen Rozwadowski impugnari a Gazzana <sup>1)</sup> eo quod limitationem in sensu vulgari a limitatione in sensu philosophico S. Thomae distinxerit. Clarior videtur Rozwadowski <sup>2)</sup> esse, cum conceptum limitis et limitationis in genere apud Aristotelem et S. Thomam quaerit: „Considerandum etiam est quid sit limes et limitatio in genere.— Limes videtur idem significare quod terminus vel finis. Videndum itaque est quid significet secundum S. Thomam et Aristotelem hoc nomen: terminus. Philosophus in V Metaphys. c. XIII dicit: „Terminus dicitur quod est cuiuslibet ultimum, et extra quod nihil est accipere primi, et infra quod omnia primi“. — Et S. Thomas: „Terminus dicitur quod est ultimum cuiuslibet rei, ita quod nihil de primo terminato est extra ipsum terminum, et omnia quae sunt eius continentur intra ipsum“. (In V Met. l. 19, ed. Cath., n. 1044). Item: „Secundum Philosophum in V Metaphys. finis vel terminus multipliciter dicitur. Uno modo terminus quantitatis, sicut punctus lineae; et hoc modo dicitur

<sup>1)</sup> A. Gazzana, S. I., Atto e potenza nelle 24 tesi tomiste art. in Divus Thomas, 1 (1941), Piacenza, 70.

<sup>2)</sup> A. Rozwadowski, S. I., op. cit., VIII, 223 sq.

a positione et a privatione talis finis finitum et infinitum, secundum quod est passio quantitatis; et sic non est in incorporeis. Dicitur alio modo finis quantum ad essentiam rei, sicut ultima differentia constitutiva est ad quam finitur essentia speciei. Unde illud quod significat essentiam rei vocatur definitio vel terminus; et sic dicitur unumquodque finiri per illud quod determinat vel contrahit essentiam suam; sicut natura generis, quae de se est indifferens ad multa, finitur per unam differentiam; et materia prima, quae de se est indifferens ad omnes formas, unde et infinita dicitur, finitur per formam; et similiter forma, quae quantum in se est potest perficere diversas partes materiae, finitur per materiam in qua recipitur. (In I Sent. Dist. 43, q. 1, a. 1; — cf. S. Th. I. q. 7, a. 1; S. c. g., I, c. 43; De Pot. q. I, a. 2 Comp. theol., c. 20). Post hanc citationem auctoritatum concludit Rozwadowski ita: „Itaque limes vel limitatio est id ultra quod non extenditur res limitata, quae secundum se potest extendi ulterius“. Deinde Rozwadowski distinguit limitationem causaliter sumptam, quae est aliquid positivum, scil. principium limitans seu id quo ponitur aliqua negatio in re limitata, a limitatione formaliter sumpta, quae est ipsa negatio, quae ponitur in re limitata, seu negatio in subiecto, quod ex se potest extendi ulterius. Haec ultima distinctio videtur quoad rem coincidere cum distinctione supra data inter limitationem causaliter seu principiative et limitationem effective seu terminative sumptam. Rozwadowski insistit in eo, quod limitatio formaliter sumpta non est mera negatio, sed negatio in subiecto apto, seu privatio. Praecisio haec auctoris debet laudari eo maius, quod multi thomistae in argumentatione videntur confundere privationem cum mera negatione. Tradita definitio limitationis tamquam privationis bene applicari potest iuxta Rozwadowski tum limitationi actus tum limitationi potentiae, nam in utroque casu per limitationem assignabitur id ultra quod non extenditur sive perfectio sive resp. capacitas perfectionis seu imperfectio. Tamen etiam



Rozwadowski (sicut et supra citatus Gazzana) reprobatur locutiones Remer et aliorum, quod „potentia limitat seipsam“. Iuxta Rozwadowski neque actus limitat seipsum neque potentia limitat seipsam, sed limitatio actus fit per potentiam (re aut ratione distinctam) et mutuo limitatio potentiae fit per actum (re aut ratione distinctum). Sed haec iam ipsum conceptum seu definitionem limitationis ut sic excedunt et ideo nos hic diutius occupare non debent.

##### 5. ADVERSARIII

Praeter monistas, qui sunt extra scholam, ut adversarii illustriores citantur a thomistis ex veteribus scholasticis praesertim Scotus<sup>1)</sup> et Suarez<sup>2)</sup>, secundum quem actus seipso vel fortasse ab agente finitus est, non vero per potentiam in qua recipiatur. Ex recentioribus notiores evaserunt oppugnatores praesertim Descoqs<sup>3)</sup> et Fuetscher<sup>4)</sup>. Sed etiam ex ipsis thomistis pro adversariis tenendi sunt nonnulli, qui moti anti-averroistico opusculo S. Thomae „De unitate intellectus“ negant principium limitationis esse ad mentem Doctoris Angelici absolutum seu metaphysicum et restringunt illud ad ordinem naturalem tantum. Secundum eos multiplicatio, hinc et limitatio actus esset possibilis ex causa supernaturali, etiamsi nulla daretur potentia limitans. Tales sunt inter antiquiores Capreolus, Ferrariensis, Banez et inter recentiores Gotti, Roland-Gosselin<sup>5)</sup>. Nunc denique secundum radicaliores auctores, ut Dezza, adversariis adnumerandi sunt hi thomistae, qui duplicem modum limitationis actus admittunt: nempe vel quia actus recipitur in aliqua potentia realiter distincta vel quia actus ipse est potentia realis ad

<sup>1)</sup> S c o t u s, Reportata Parisiensia 1, d. 2, q. 3, n. 2.

<sup>2)</sup> S u a r e z, Disputationes Metaphysicae 31, s. 13, nn. 14—18.

<sup>3)</sup> P. D o s c o q s, S. I., Praelectiones Theologiae Naturalis, II, 704—715; Essai Critique sur l'Hylémorphisme, Paris 1924, 125—170.

<sup>4)</sup> L. F u e t s c h e r, S. I., Akt und Potenz, Innsbruck 1933, 63—94, 168—183.

<sup>5)</sup> Cfr. P. D e z z a, S. I., op. cit., 130; J. d e F i n a n c e op. cit., 58.

actum ordinis superioris. In hac secta praecise multum occurrit distinctio actus „irrecepti“ et „irreceptivi“ (resp. recepti et receptivi). Constat hunc duplicem modum limitationis assumi a Remer, Gredt, Rozwadowski etc.

#### 6. THOMISTICA DEMONSTRATIO PRINCIPII LIMITATIONIS

Antequam thomistica probatio principii exponatur, dicendum est prius, quem gradum evidentiae huic principio discipuli S. Thomae assignent. Dezza scribit<sup>1)</sup>: „Discipuli S. Thomae communiter hoc principium defendunt ut principium metaphysicum ideoque absolute certum in omni ordine: atque ita per se evidens — notat Gény — ut raro inveniantur demonstrationes. (Revue de Philos., 1919, p. 131)“. Apud Garrigou-Lagrange<sup>2)</sup> autem, qui citat hic Mattiussi, legimus: „An probari possit principium istud? Non directe et discursu proprie illativo, quia non est conclusio sed principium per se notum, supposita explicacione terminorum actus et potentiae. Attamen haec explicatio terminorum proponi potest sub forma discursus explicativi simul cum demonstratione indirecta aut per absurdum“. Similiter Mattiussi in suo celebri commentario persuadere legenti conatur solam analysim conceptuum potentiae et actus gignere tres assertiones (thesis II-dae e XXIV), ex quibus prima continet praecise formulam principii limitationis. Itaque nullum est dubium, quin iuxta thomistas principium limitationis appellandum sit principium per se notum quoad nos vel principium analyticum. Quae cum ita sint, videamus istam analysim demonstrativam principii apud nonnullos illustriores thomistas.

Garrigou-Lagrange<sup>3)</sup>: „Actus ut perfectio de se illimitata in suo ordine (ut esse, sapientia, amor) non potest limitari (de

<sup>1)</sup> P. D e z z a, S. J., op. cit., 119.

<sup>2)</sup> R. G a r r i g o u - L a g r a n g e, O. P., Applicationes tum physicae tum metaphysicae doctrinae de actu et potentia secundum S. Thomam, art. in Acta I Congressus Thomistici Intern., Romae, 1925, 33; La Synthèse Thomiste, 82.

<sup>3)</sup> Ibidem.

facto) nisi per aliud habens intrinsecam proportionem ad eum limitandum.

Atqui hoc aliud habens hanc intrinsecam proportionem ad actum limitandum non potest esse nisi potentia seu capacitas perfectionis. Ergo actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quae est capacitas perfectionis.

**M a i o r** patet, quia si actus, v. g. esse limitatur de facto, sed non a seipso, prout secundum se est illimitatus, ut constat de esse, de sapientia, de amore; ergo limitatur per aliud. Et, hoc aliud debet habere **i n t r i n s e c a m p r o p o r t i o n e m** ad actum limitandum, alioquin non constitueretur aliquid **i n t r i n s e c e** limitatum, ut planta, vel homo.

**M i n o r** etiam patet: principium intrinsece proportionatum ad limitandum actum non potest esse nisi potentia seu capacitas perfectionis, v. g. essentia plantae. Non enim sufficit recurrere ad agens, nam agens, cum sit causa **e x t r i n s e c a**, non habet **i n t r i n s e c a m** proportionem ad actum limitandum, scilicet ad constituendum aliquid intrinsece limitatum.

Boyer vero argumentatur ita<sup>1)</sup>: „Probatur prima pars: **a c t u s n o n l i m i t a t u r n i s i p e r p o t e n t i a m i n q u a r e c i p i t u r**. Etenim limitatio actui advenit vel a sola causa efficiente, vel a seipso, vel a potentia subiectiva. Atqui nec primum, nec secundum. Ergo limitatur actus a potentia tantum. Distinctio maioris est completa, nam actus quidam non dicit ordinem nisi ad causam sui efficientem, vel ad seipsum, vel ad potentiam cuius est actus. Minor probatur per partes. Et quidem:

1) **l i m i t a t i o a c t u i n o n a d v e n i t a s o l a c a u s a e f f i c i e n t e**, id est saltem ultimam a Deo. Causa enim efficiens effectum producit secundum quod requirit ipsa essentia effectus, cuius possibilitas praesupponitur; ut si Deus vult creare hominem, eum substantiam compositam rationalem, risibilem, etc. faciat necesse est. Atqui limitatio actus est aliquid pertinens ad essentiam actus limitati: v. g. est de essen-

<sup>1)</sup> C. B o y e r, S. I., op. cit., I, 333.

tia Petri quod non sit tota humanitas. Ergo causa efficiens limitat actum secundum quod requirit essentia actus, seu secundum quod requirit limitabilitas eius, quae praesupponitur. Proinde praeter actionem causae efficientis, necesse est determinare aliquid intrinsecum unde actus habeat ut sit limitabilis: utrum a seipso an ab aliquo alio comprincipio intrinseco, Manifestum est igitur limitationem actus non explicari per merum recursum ad causam efficientem.

*D i c e s.* Deus dare potest entibus gradum perfectionis quem vult. Sed sic agendo, entia limitat. Ergo limitatio entium, ac proinde actuum, ab actione Dei sufficienter explicatur.

Respondeo. Distinguo maiorem. Deus dare potest entibus gradum perfectionis quem vult, ponendo quidquid requirit essentia huius gradus, concedo; secus, nego; nam contradictoria fieri nequeunt. Contradistinguo minorem.

2) *A c t u s n o n l i m i t a t u r a s e i p s o.* Etenim, quidquid est extra conceptum adaequatum alicuius rei, si ei advenit, non ex ipsa re advenit, sed aliunde. Atqui limitatio est extra conceptum adaequatum actus. Ergo non advenit actui ex ipso actu, sed aliunde.

Maior negari nequit, quin pereat obiectivitas humanae cognitionis. Quidquid enim res habet ex seipsa continetur in eius definitione seu in conceptu eius adaequato; nam definitio est loco rei, et idem est dicere quod res non habet aliquid ex se ipsa definitione et quod illud non habet ex seipsa. Secus deesset adaequatio inter definitionem et rem, quae est adaequatio inter rem et apprehensionem rei per primum actum intellectus, et si primae nostrae apprehensiones essent falsae, nunquam veritatem assequeremur.

*A d m i n o r e m:* conceptus actus, quantumvis adaequatus, non dicit nisi perfectionem: bonum, pulchritudinem, sapientiam, esse, albedinem, humanitatem, etc; sed quod non dicit nisi perfectionem non includit limitationem perfectionis, nam limitatio non est perfectio, sed minoratio perfectionis.

Unde valet conclusio: actus non limitatur a seipso, sed aliunde. Quamquam enim actus non includit limitationem, non

eam excludit: poterit igitur existere limitatus, si causa intrinseca suae limitationis habebitur, quae causa esse non potest nisi subiectum cuius sit actus et a quo recipitur secundum eius capacitatem; nam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Si vero id quod non nisi perfectionem dicit ponatur existere quin causa limitationis simul ponatur, evidens est perfectionem illam sine limite exstituram esse“.

Arnou<sup>1)</sup> autem quattuor passibus quasi rem probat; nempe quod 1) Actus de se non est limitatus 2) Causa efficiens non sufficit ad explicandam actus limitationem 3) Nec actus limitari potest per alium actum 4) Sed requiritur potentia in qua recipiatur actus.

1) Actus de se non est limitatus. Id quod de se dicit perfectionem, de se nullo modo dicit negationem eiusdem perfectionis seu sui limitationem.

Atqui actus de se dicit tantum perfectionem.

Ergo de se nullo modo dicit sui limitationem. Secus, quatenus est actus seu perfectio, negaret perfectionem, i. e. non esset perfectio. Consequenter actus qui est actus tantum seu actus purus, non est limitatus et nequit limitari.

Explicatur hoc argumentum.

a) Actus consideratur secundum naturam suam absolutam, i. e. non secundum esse quod habet in rebus singularibus, neque secundum esse quod habet in intellectu nostro, sed secundum illa quae ei sunt essentialia (cfr. Quodlibet. VIII, q. 1, a. 1; De ente et essentia, c. III). Illud quod competit naturae sic consideratae, competit ei ratione sui, et proinde necessario in omnibus individuis illius naturae invenitur.

b) Actus consideratus absolute et secundum conceptum suum plene determinatum, apparet intellectui ut nullo modo dicens limitationem. Et hoc non solum quia nulla sapientia v. g. potest includere sapientiae negationem in genere quia nulla perfectio esse potest, quae totam suam definitionem non veri-

<sup>1)</sup> op. cit., 37.

ficet, sed etiam quia perfectio ratione sua nullo modo dicit quod sit haec et non alia i. e. perfectio sic limitata.

c) Inde legitime deducitur quod actus, qui est tantum actus, non potest esse limitatus; secus, ut actus, limitationem simul diceret et non diceret.

d) Notandum est sic non respui simpliciter omnem limitationem actus, sed tantum limitationem actus ratione sui: in suo conceptu adaequato actus non includit limitem. Ens quod est actus tantum, qua tale, non est limitatum. Ens quod est limitatum non est tantum actus.

2) Causa efficiens non sufficit ad explicandam actus limitationem.

Etenim causa efficiens effectum suum non producit nisi secundum essentiam effectus et illius essentiae possibilitates, nam contradictoria non possunt fieri; aliis verbis, possibilitas extrinseca intrinsecam supponit possibilitatem. Ergo causa efficiens non producit actum limitatum, nisi quatenus actus potest existere limitatus. Ergo quaerendum est utrum et unde actus possit habere quod sit limitatus.

3) Nec actus limitari potest per alium actum.

Etenim:

a) quia ad explicandam limitationem non sufficit causa extrinseca, requiritur principium intrinsecum enti limitato;

b) quia actus non potest ratione sui ipsius limitari, hoc principium intrinsecum debet esse distinctum ab actu;

c) debet tamen ipse actus limitari; et, ut actus ipse limitetur, debet principium limitans cum actu esse unitum et ita unitum ut simul cum eo constituat unum ens limitatum: huius rei conditio est ut tum actus, tum principium limitans sint entia quibus, ad invicem ordinata;

d) ut actus limitetur sine ulla mutatione suae perfectionis, debet principium limitans nullo modo esse determinans.

Inde sequitur quod principium limitationis debet esse intrinsecum enti limitato, de se non determinans sed limitans tan-

tum, ab actu distinctum, ordinatum tamen ad constituendum cum actu unum ens per se.

Atqui principium huiusmodi est potentia subiectiva.

Etenim:

a) Potentia subiectiva est limitans tantum. Tota quanta est, ordinatur ad actum recipiendum. Haec est eius quasi natura, quam recipit „ex intentione primi agentis quod est Deus“ (S. TH., I, q. 47, a. 1. c.).

b) Propter suam transcendentalem relationem ad actum potentia subiectiva constituit simul cum actu unum quid limitatum. In hoc composito, potentia actum recipit et limitat; nam „omne... quod est in aliquo est in eo per modum eius in quo est“ (Cont. Gent., II, c. 49), vel: quidquid recipitur, secundum modum recipientis recipitur.

C o n c l u s i o. Ad hoc igitur ut actus intelligatur esse limitatus, i. e. non esse tota perfectio sui ordinis, requiritur et sufficit potentia quae actum in illo ordine participet, i. e. in qua recipiatur actus ut perfectivum in proprio perfectibili...“.

Dezza<sup>1)</sup> rursus sic probat hoc principium: „Actus in quo ordine est actus, nequit limitari a seipso. Ergo debet limitari ab alio. Atqui hoc aliud nequit esse nisi potentia. Ergo actus in quo ordine est actus, non limitatur nisi per potentiam.“

P r o b a t u r a n t e c e d e n s : Actus de se dicit aliquam perfectionem sine limite, limitatio negat illam perfectionem esse sine limite. Atqui si actus a seipso limitaretur, simul diceret et negaret idem secundum idem, esset enim negatio perfectionis quatenus esset perfectio, non esset quatenus est, quod est contradictorium. Ergo actus in quo ordine est actus, nequit limitari a seipso. Ergo debet limitari ab alio.

N o t a illud de se. Actus enim sicut quaelibet essentia potest considerari tripliciter (Cfr. S. Th. Quodl. 8, q. 1, a. 1 et De ente et essentia, c. 4):

---

<sup>1)</sup> P. D e z z a, S. I., op. cit., 119.

a) secundum esse quod habet in rebus singularibus, v. g. homo albus;

b) secundum esse quod habet in intellectu, v. g. homo species;

c) secundum esse quod habet de se, absolute spectatus, secundum notas quae sunt ei essentiales, v. g. homo rationalis.

Nunc vero, quae conveniunt actui vel essentiae de se, semper et necessario ei conveniunt, in quocumque ordine inveniatur, sive in ordine logico, sive in ordine ontologico. Ita v. g. esse album convenit aliquibus hominibus qui existunt a parte rei, at non necessario et semper omnibus hominibus; esse speciem convenit homini prout est in intellectu, at non prout est in rebus; contra esse rationale, convenit homini de se, et propterea necessario et semper sive in ordine logico sive in ordine ontologico, homo est rationalis.

Similiter dicimus de actu; non limitari a seipso, non convenit actui praecise prout est in singularibus vel prout est in intellectu, sed actui de se, ergo necessario et semper, sive in ordine logico sive in ordine ontologico, actus non potest limitari a seipso; si igitur est limitatus est limitatus ab alio.

**Probat minor subsumpta:** Hoc aliud esset aut sola causa efficiens aut alius actus aut potentia.

Atqui 1) non sola causa efficiens. Nam causa efficiens (etiam Deus) non potest producere actum limitatum quin ponat in ipso principium intrinsecum limitationis, id est illud quo limitetur, sicut non potest facere rem albam, quin ponat in ipsa illud quo sit alba.

Atqui id quo actus est limitatus, non est ipsa essentia actus, ut probatum est in prima parte. Ergo est aliquid aliud.

2) Non alius actus, quia quicumque actus ut talis, dicit perfectionem et perfectio non limitatur per additionem perfectionis.

Ergo hoc aliud non potest esse nisi potentia subiectiva, quae limitet actum secundum suam capacitatem. Etenim potentia est: a) principium limitans tan-



t u m, nam haec est eius natura (quam habet „ex intentione primi agentis quod est Deus“, S. Th. I, q. 47, a. 1, c.): recipere actum quin ullam determinationem seu mutationem eius perfectionis causet; b) distinctum ab actu, at cum actu intrinsece unitum, ut constituat unum ens. Ergo stat thesis“.

Propter admissum duplicem modum limitationis adiungamus hic etiam probationem Gredt<sup>1)</sup>: „Potentia per seipsam limitatur, actus autem limitari nequit, nisi quatenus vel est actus alicuius potentiae, in qua recipitur, vel est potentia ad actum superioris ordinis. — P r o b a t u r: Potentia est imperfectio, ergo limitatio actus seu capacitas finita. Contra actus est perfectio, ergo ex se non dicit limitationem, ergo ex se non limitatur. Quare si nihilominus limitatur, hoc est aut ab extrinseco sibi i. e. a potentia in qua recipitur (sicut „esse“ receptum in essentia, limitatur ab ea), aut ex eo quod actus ille simul est potentia i. e. limitatio respectu actus superioris (sicut forma est actus materiae, sed simul cum materia est potentia relate ad existentiam)“.

Duplicem modum limitationis statuit etiam Remer-Gény<sup>2)</sup> et principium limitationis ita probat: „Ut potentia dicit capacitatem perfectionis, et ideo aliquid per se limitatum, ita actus dicit perfectionem, et ideo aliquid de se illimitatum. Perfectio enim si absolute, seu in se spectetur, non dicit quod sit haec et non alia nec quod sit tanta et non maior. Si ergo est limitata, hoc non habet ab intrinseco sui, in quantum scilicet est perfectio, sed solum ab extrinseco, quod est principium limitationis, id est a potentia, cui aliquo modo admiscetur. Atqui dupliciter aliquis actus seu perfectio admisceri potentiae intelligitur, vel quia scilicet recipitur in potentia subiectiva, vel quia ita est actus in aliquo ordine, ut dicat rationem potentiae quoad actum superioris ordinis. In prima hypothesis intelligitur eius limitatio ex ipsa capacitate potentiae, in qua velut in subiecto recipitur: potentia

<sup>1)</sup> J. G r e d t, O. S. B., op. cit., 11, 42.

<sup>2)</sup> V. R e m e r, S. I., op. cit., 39.

enim et actus sibi proportionantur. Et sic forma limitatur per materiam, et esse per essentiam in qua recipitur. In secunda etiam hypothese intelligitur limitatio, quia revera, licet sit actus in suo ordine, tamen non est simpliciter actus, sed habet rationem potentiae respectu actus superioris ordinis. Atqui potentia, ut diximus, per se limitatur. Ergo etc. Atque ita forma etiam complete subsistens, quae est actus in ordine essentiae, et quidem irreceptus, in ordine entis, h. e. respectu tou esse, est potentia“.

Opinionem Remer de duplici modo limitationis actus sequitur etiam Razwadowski, qui rem ita demonstrat<sup>1)</sup>: „Aliis verbis: imperfectio actus est negatio perfectionis in aliqua perfectione, sed omnis negatio fundatur in aliquo positivo. Hoc positivum, quod fundat negationem perfectionis in perfectione, non potest esse actus in quantum actus, nam actus est perfectio et perfectio in quantum perfectio non dicit negationem perfectionis unde id quod fundat negationem perfectionis in aliquo actu debet esse non actus in quantum actus, sed actus in quantum admiscetur alicui principio limitationis, quod est potentia. Atqui actus dupliciter admiscetur potentiae: aut in quantum actus recipitur in potentia, aut in quantum actus est potentia ad actum superioris ordinis. Ergo id quod fundat imperfectionem actus est aut actus in quantum recipitur in potentia, aut actus in quantum est potentia ad actum superioris ordinis, seu est aut actus in quantum est receptibilis, aut actus in quantum est ulterius perfectibilis. In primo casu potentia per quam imperfectio convenit actui realiter distinguitur ab actu, in secundo casu haec potentia ratione tantum distinguitur ab actu; in primo casu potentia, quae est ratio imperfectionis actus, et actus sunt in eodem ordine, in secundo casu haec potentia et actus sunt in diversis ordinibus (nam potentia est ad actum superioris ordinis)“.

---

<sup>1)</sup> A. R o z w a d o w s k i, S. I., op. cit., VI, 94; Akt i potencja w filozofii Św. Tomasza z Akwinu, art. in Polski Przegląd Tomistyczny, 2 (1939), 118.

Haec pauca exempla sufficiant ad efformandam sibi ideam de modo argumentandi neothomistarum in materia principii limitationis. Omnes recentiores, in quantum potuimus videre, nonnisi secundum istum typum argumentum conficiunt, cuius vis est in eo, quod limes — negatio non includitur in perfectione ut sic, ergo causatur in ea ab extra, scil. a capacitate perfectionis.

## PARS SECUNDA

### INDEX PRAECIPUARUM FALLACIARUM IN THOMISTICO PRINCIPIO LIMITATIONIS.

Neothomisticum principium limitationis dicit primam seu metaphysicam finitudinem actus intrinsece causari non per ipsum actum, sed per potentiam, quae est aliquis positivus non — actus.

Nonnulli auctores, ut Monaco<sup>1)</sup>, Bonnet<sup>2)</sup>, quamvis „verio-rem“ aestiment sententiam suarezianam, tamen concedunt principium limitationis posse saltem „defendi ut probabile“. At iuxta nos principium istud non meretur tantam concessionem, quae ceterum per suam medietatem neque apertis hostibus neque sinceris amicis principii placere potest. Nullitas argumentationis thomisticae videtur recenter sufficienter demonstrata a Descoqs et Fuetscher. Valere adhuc videtur obiectio Fuetscher.<sup>3)</sup> thomisticam probationem huius axiomatis aut esse simpliciter petitionem principii aut tacite supponere realismum exaggeratum in quaestione de universalibus et quidem realismum scotistico maiorem. Nos praeterea speramus afferre quandam novam considerationem, quae falsitatem principii limitationis positive demonstret. Contradictio immediata in ipso principio limitationis vel mediata cum aliis thesibus thomisticis erit procul dubio si-

<sup>1)</sup> N. Monaco, S. I., Praelectiones Metaphysicae Generalis, Prati 1913, 152. 163.

<sup>2)</sup> C. Bonnet, S. I., Ontologia, Wetteren 1923, 129.

<sup>3)</sup> L. Fuetscher, S. I., ip. cit., 85.

gnum evidens eius falsitatis. Hanc contradictionem intrinsecam in doctrina thomistica conabimur ostendere sub titulo variarum fallaciarum, quas hic enumerabimus. Sed evidenter talis denuntiatio fallaciarum non erit nisi argumentatio ad hominem. At aliter quam ad hominem arguere non intendimus.

#### 1. FALLACIA POTENTIAE-EFFECTUS LIMITATIONIS ACTUS UT CAUSAE EIUSDEM LIMITATIONIS

Primo ad spectu thomistica formula principii: „Actus non limitatur nisi per potentiam“ apparet libera a contradictione et ideo hucusque nemo, ni fallimur, thomismum de hoc vitio accusavit. Termini enim huius propositionis non videntur directe se mutuo negare. Auditis subiecto et praedicato non statim elucet repugnantia, ut omnis limitatio actus causetur solummodo per potentiam. Revera monstrare contradictionem inter nudum subiectum: „actus“ et nudum praedicatum: „limitatur non nisi per potentiam“ non est facile nisi praecise in systematica acceptione thomistica. Nam contradictio in ipsa formula principii limitationis patet, si simul consideratur aliud thomisticum adagium de absoluta prioritate actus<sup>1)</sup> atque ad invicem comparantur conceptus actus de se infiniti et potentiae hanc infinitatem prohibentis. Defensores principii limitationis pro dogmate statuunt actum de se infinitum nunquam a seipso limitari. Habemus ergo ius expectare, ut causa limitans sit talis, ne in ipsa admissione eius exceptio ab illo dogmate agnoscatur. Aliis verbis: causa limitationis nequit simul esse effectus eiusdem limitationis et vice versa effectus limitationis nequit esse simul causa eiusdem limitationis. Iamvero potentia ex sua natura non est nisi quidam effectus limitationis actus. Ergo potentia nequit esse causa limitationis actus.

Etenim quid significat absoluta prioritas actus in ordine ontologico? Absoluta prioritas actus in ordine ontologico signi-

---

<sup>1)</sup> Cf. J. G r e d t, O. S. B., op. cit., 41; E. H u g o n, O. P., op. cit., 45; V. R e m e r, S. I., op. cit., 35; P. D e z z a, S. I., op. cit., 113; R. A r n o u, S. I., op. cit., 32.

ficat actum de se infinitum continere in sua essentia eminenter omnem realitatem ipsa potentialitate inclusa, ideoque actum posse esse causam ipsius potentiae. Deducere potentiam aliunde quam ex actu thomistis non licet, quia tunc potentia esset independens ab actu ac proinde potentia non esset effectus actus actusque non esset causa potentiae, sed ponerentur duo irreductibilia principia. Potentia non deducta ex actu tamquam eius effectus esset eo ipso concipienda ad instar alicuius aeterni, originem non habentis, indestructibilis et necessarii principii. In hoc casu renovaretur sub alio nomine vel manichaeum principium malum vel maya-avidya, principium multiplicis apparentis vedantistarum vel prakrti samkhyae vel materia increata antiquorum Graecorum. Utique thomismus externe in hanc sibi absurdam hypothesim non incidit, quia ipsum factum originationis potentiae ex actu admittit. Sed interne et logice per postulatum potentiae limitantis resuscitat errorem manichaeum etc., a quo salvari nequit nisi recurrendo ad fallaciam potentiae-effectus limitationis actus ut causae eiusdem limitationis actus.

Nam concesso potentiam non posse oriri nisi ex actu, quaerere licet, quomodo ex eo oriatur. Oriturne per limitationem actus vel non?

Si primum, i. e. si origo potentiae ex actu praesupponit antecedentem limitationem actus, tunc quaeritur ulterius, utrum haec antecedens limitatio actus causetur per aliam potentiam vel non. Si per aliam potentiam, tunc renovatur quaestio de illa alia potentia et ita fit regressus in infinitum, qui falsitatem hypothesim demonstrat. Si non per aliam potentiam, tunc eo ipso conceditur non omnem limitationem actus provenire tantum ex potentia. Tunc conceditur actum limitari ad gradum potentiae sine relatione ad aliam potentiam, ergo conceditur actum limitari ad istum gradum a seipso. Iamvero haec conclusio directe contradicit ipsi enuntiationi principii limitationis coincidentque cum sententia Suarez. Qua contradictione praetermissa fallaciose dicitur potentiam, quae non est nisi effectus limitationis, esse causam omnis limitationis, nam inde sequerentur potentiam esse causam suiipsius.

Si secundum, i. e. si potentia oritur ex actu at non per limitationem actus, tunc eo ipso conceditur primam seu metaphysicam finitudinem non per potentiam qua potentiam, sed per virtutem ipsius actus explicandam esse. Imitabilitas huius virtutis in ordine possibilium et creatio in ordine reali assignantur praecise a Suarez tamquam ultima radix primae seu metaphysicae finitudinis, ultra quam ineptum esset procedere, siquidem ipsa potentia ad creationem per actum eiusque imitabilitatem ultimam reduci debet. Non enim potentia reddit possibilem creationem et imitabilitatem ex parte actus, sed econtra creatio et imitabilitas ex parte actus possibilem reddunt potentiam. Thomismus assumit ridiculam hypothesim actum posse immediate causare potentiam sine mediante alia potentia, sed non posse ita immediate causare omnia alia, v. g. angelum etc. Evidenter angelus non causabitur sine potentia, si haec potentia pertinet ad essentiam eius. Sed praesentia potentiae, in angelo debet probari aliunde quam ex sola consideratione primae seu metaphysicae finitudinis. A priori non patet, cur actus causans ens finitum potentiale independenter ab alia potentia non possit causare entia finita actualia pariter independenter a potentia. In deductione potentiae ex actu coincidit thomismus cum suarezianismo, iure igitur mirari potest, cur in deductione omnium aliorum entium ex actu thomismus a suarezianismo differat. S. Thomas timendo potentiam increatam praeter Deum expresse dicit etiam materiam primam „imitari essentiam divinam“, „habere similitudinem cum Deo“, „participare de ente“<sup>1)</sup>. Ergo iuxta Doctorem Angelicum non ad omnem „imitationem“, „participationem“ actus necessaria est mediatio potentiae limitantis. Cum itaque secundum Aquinatem saltem aliqua particularis imitatio ac participatio actus (scil. ipsa potentia) non praesupponit mediationem potentiae limitantis, nonnisi illogice et per inconsequentiam impugnatur sententia suareziana, quae metaphysicam imitationem ad participationem ut sic explicat per virtutem actus independenter a potentia. Sicut imitabilitas ac participabilitas actus

---

<sup>1)</sup> De Pot. q. III, a. 1 ad 12 et 13.

est sufficiens ratio imitantis ac participantis potentiae, ita iuxta suarezianos haec eadem imitabilitas ac participabilitas actus debet agnosci sufficiens ratio omnium aliorum imitantium ac participantium, ultra quam ascendere otiosum est.

## 2. FALLACIAE TERMINI „LIMITATUR“

Cum thomismus dicat actum limitari per receptionem in potentia subiectiva, evidenter comparat potentiam cum aliquo vase et actum cum aliqua materia receptibili, v. g. aqua. Conceptus limitationis ut sic probabilissime ab hoc phantasmate sensibili primum abstrahitur. In nostra enim experientia sensibili nihil videtur frequentius quam hoc phaenomenon, quod scil. aliqua magna quantitas massae minuitur et fit parva ad mensuram alicuius „recipientis“. Ita immensa quasi aqua in mari dividitur et minoratur secundum numerum ac capacitatem vasorum, in quae infunditur. Hanc imaginem sensibilem latere posse in „metaphysica“ idea limitationis ut sic apparet v. g. in philosophia indica. Sic v. g. vedanta (in editione Ankarae) saepe expressis verbis provocat ad imaginem „aetheris“ (akaśa) illimitati in se et simul limitati in vase (ghata), ut explicetur simul realis infinitas Brahman-Atman et irrealis finitudo phaenomenorum.

Haec autem imitatio sensibilis, quae in experientia cotidiana observatur, plura elementa importat: 1) massam receptibilem, 2) vas recipiens, 3) distinctionem inter vas et receptibile et quidem ita, ut 4) vas recipiens sit minus quam massa receptibilis utque, 5) receptio qua receptio sit causa diminutionis massae receptibilis. Si vas recipiens esset maius quam massa receptibilis, tunc utique esset adhuc possibilis „receptio“, sed iuxta vulgarem modum loquendi non adesset „limitatio“, i. e. diminutio massae receptibilis. Ita v. g. effusionem aquae e calice in lacum nemo iuxta sensum communem appellabit „limitationem“ huius aquae, dum econtra aqua e lacu calice hausta communiter intelligitur „limitata“.

Talem igitur imaginem sensibilem limitationis ex ordine „quantitatis molis“ prae oculis habentes thomistae concipiunt

intelligibilem ideam „limitationis ut sic“, quae analogice verificetur etiam in ordine „q u a n t i t a t i s v i r t u t i s“. Ne igitur vox „limitatio, sit omnino aequivoca vel vacua, debet proprie i d q u o d conceptu limitationis concipitur analogice significare. Revera thomismus videtur in idea limitationis ut sic tueri analogice omnia elementa seu condiciones limitationis sensibilis. Nam iuxta thomismum adest 1) receptibile, scil. actus ut sic, 2) recipiens, scil. potentia subiectiva, 3) distinctio realis inter receptibile et recipiens, i. e. inter actum et potentiam, 4) recipiens, scil. potentia de se limitata, est minus quam receptibile scil. quam actus ut sic de se illimitatus, 5) receptio qua receptio est causa diminutionis actus. Patet secundum thomismum has condiciones analogice dici de limitatione metaphysica, quia a) limitatio metaphysica abstrahit a quantitate sensibili molis et applicatur etiam quantitati virtutis, b) potentia et actus sunt „entia quibus“ et non „entia quae“ sicut v. g. aqua et vās, c) receptio actus in potentia non est „extrinseca“, sed correcta per ideam „eductionis e potentia“ intelligitur esse sui generis, d) actus receptibilis de se est secundum thomismum infinitus, dum in experientia sensibili non datur receptibile infinitum: v. g. aqua, aer etc, sunt simpliciter finita.

Servata igitur analogia „l i m i t a t i o e x r e c e p t i o n e“ debet describi ita: positio seu causatio limitis in maiore quantitate molis vel virtutis mediante divisione eiusdem in minore vase physico vel metaphysico. Hoc pacto limitatio, quae ex receptione oritur, necessario includit transitum eiusdem numerice molis vel virtutis ex quantitate maiore ad quantitatem minorem. In limitatione physica ergo includitur transitus physicus, in metaphysica metaphysicus, in reali transitus realis, in ficta transitus fictus. Negato hoc „transitu“ negatur eo ipso omnis limitatio, quae est ex receptione. Terminus „limitatio ex receptione“ evaderet tunc vacuus seu fieret merus flatus vocis.

Quomodo se habent ad invicem limitatio et limes? Limitatio et limes, quae negationem involvunt, possunt ratione fundamenti quodammodo distingui tamquam actio et terminus actionis, effectio, et effectus, causatio et causatum. Aristoteles de-



finit litem quantitatis molis ita: „Terminus dicitur quod ultimum cuiusque est, extra quod nihil est accipere primum, et intra quod omnia primum“<sup>1)</sup>). In Schola limes in genere dicitur communiter: defectus ulterioris realitatis. Negatio, quae includitur in hoc conceptu non est negatio absoluta totius entis, sed relativa, i. e. limes subaudit semper ens, in quo igitur negat non omnem entitatem sed tantum ulteriorem. Limes purus, i. e. limes in se extra quantitatem molis vel virtutis nec esse nec concipi potest. Quam ob rem recte omnino dicitur<sup>2)</sup>) limitationem et litem fundari in aliquo positivo, sed petitur principium dicendo illud positivum debere esse potentiam et non actum.

Diximus litem esse veluti terminum limitationis tanquam actionis. Sequiturne ex hoc, quod semper ubi est limes ibi praecesserit limitatio activa seu „limitatio ex receptione“, quae dividendo receptibile per vas recipiens ponit in illo litem? Aliquod quantum molis vel virtutis appellatur „limitatum“ ideo, quia possidet litem, i. e. caret ulteriore quantitate. Haec carentia ulterioris quantitatis utpote non ens nequit causari per se, sed tantum per accidens, i. e. ratione entis talis. Per accidens autem istud non ens duplici modo potest in quanto molis vel virtutis causari: vel quia absolute et simpliciter ponitur concretum quantum tale sine relatione ad aliud homogeneum quantum, quocum itaque ex consequenti iungitur carentia ulterioris quantitatis, vel quia concretum quantum tale obtinetur ex divisione quanti maioris sicut pars a toto. Liceat nobis simplicem et absolutam praesentiam limitis in quanto appellare limitationem absolutam seu metaphysicam, praesentiam autem limitis, quae in quanto causatur ex receptione dividente, limitationem relativam seu physicam. Patet limitationem absolutam seu metaphysicam esse primam et limitationem relativam seu physicam esse secundam. Divisio enim supponit dividens limitatum limitatione absoluta seu metaphysica, sed non vice versa.

<sup>1)</sup> Aristoteles, *Metaphys.* IV, 17, 1022a 4—5.

<sup>2)</sup> Cf. P. Dezza, *S. I.*, op. cit., 122 ad 5 obiectionem.

Thomismus hodiernus videtur non agnoscere nisi limitationem relativam, quae oritur ex receptione seu compositione mutua. Etenim iuxta thomismum omne concretum quantum molis vel virtutis, in quo conspicitur praesentia limitis, non est nisi pars quantitatis infinitae ideoque omne quantum finitum saepe appellatur praecise „participatio“ infiniti<sup>1)</sup>. Causa recipiens et dividens infinitum in partes assignatur a thomistis in potentia subiectiva tamquam aliquo „vase metaphysico“, de cuius limitatione intra thomistas hodie disputatur. Disputatur nempe, utrum potentia limitetur per seipsam, an per actum, i. e. utrum secundum nostram terminologiam habeat limitationem absolutam seu metaphysicam, an solummodo limitationem relativam ex divisione per actum<sup>2)</sup>.

Quam fallax sit iste conceptus vasis metaphysici mediantis in omni limitatione actus, innuimus iam supra. Denuntiemus nunc insidias, quae in termino „limitatio“ latere possunt. Maxima fallacia est in hoc, quod conceptus limitationis potest includere divisionem seu transitum molis vel virtutis ex quantitate maiore in quantitatem minorem aut etiam non includere istum transitum. Dum ergo thomistae dicunt: „potentia limitat actum“, tunc hoc dupliciter intelligi potest. Nempe 1) vel potentia non recipit totum actum sed solummodo eius partem et hinc causat, ut actus transeat ex statu quantitatis maioris in statum quantitatis minoris, 2) vel potentia recipit simpliciter aliquem actum qui tamen non est pars alicuius totius, et hinc potentia non causat, ut actus transeat ex quantitate maiore in quantitatem minorem; in tali conditione actus iam antecedenter in se limitatus recipitur simpliciter in potentia, quae ergo circa eius limitationem nihil facit.

Fallacia haec fit evidens, si legitur v. g. Arnou. Auctor iste docet actum de se illimitatum seu infinitum fieri limitatum seu finitum propter receptionem in potentia, quae eius infinitati

<sup>1)</sup> Cf. R. A r n o u, S. I., op. cit., 40, Scholion.

<sup>2)</sup> Cf. articulos A. R o z w a d o w s k i et A. G a z z a n a supra citatos.

limites ponit. Sed in responsione ad obiectionem Descoqs: „Repugnat actum de se infinitum recipi in potentia et sic coarctari et limitari“ loquitur ita: „Concedo, et nego suppositum. Non enim dicimus actum prius esse infinitum et postea recipi in potentia et limitari: hoc revera est absurdum. Sed dicimus actum purum esse necessario illimitatum; et proinde ens limitatum non esse nisi quatenus non est tantum actus sed compositum ex actu et potentia: patet actum limitatum et potentiam limitantem simul creari quatenus ens finitum creatur“<sup>1)</sup>). Manifeste Arnou iam evacuat hic conceptum limitationis, in quantum concedit actum non esse prius infinitum et solummodo postea recipi in potentia et coarctari. Quomodo potentia „limitat“ actum, i. e. facit eum minorem, si hic actus non supponitur prius maior?

At non sola haec evacuatio conceptus limitationis mirationem causat, nam licet cuilibet recedere a lingua communi et sua propria terminologia uti. Stuporem tamen excitat, quod Arnou alibi<sup>2)</sup> utitur eodem termino „limitat“ resp. „limitatur“ etiam in sensu obvio et vulgari, i. e. ita, ut limitatio includat divisionem seu transitum ex maiore quantitate ad minorem. Scribit enim Arnou: „Ens quoddam est limitatum vel quia non habet totam perfectionem..., vel quia... non habet secundum omnem modum..., vel quia non habet omnem perfectionem possibilem“. Cum autem Arnou firmiter simul teneat actum de se seu in suo statu absoluto habere praecise et TOTAM perfectionem et secundum OMNEM modum et OMNEM possibilem seu esse vere Infinitum, ideo fas est interrogare, quomodo actus de se t o t u s, o m n i s i n f i n i t u s, licet non dividatur seu non transeat ex priori infinitate ad posteriorem finitudinem, inveniatur tamen de facto non totus, non omnis, non infinitus. Quis simile artificium capere poterit?

In responsione ad illam obiectionem appellat Arnou ad factum creationis, per quam simul concreantur actus limitatus et potentia limitans. Sed hoc non est ad rem! Nam Arnou obli-

---

<sup>1)</sup> R. A r n o u, S. I., op. cit., 42, 35.

<sup>2)</sup> Cf. ibidem, 36.

viscitur problema limitationis ab eo ipso positum esse in statu absoluto seu essentiali. Iamvero praecise in illo statu essentiali, ergo antecedenter ad factum creationis, actus supponitur esse infinitus. Nonne ergo saltem in illo statu absoluto actus est „prius“ infinitus prioritate naturae seu essentiae, nonne ergo solum „postea“ recipitur in potentia et ita revera transit ex infinitate essentiali ad finitudinem „praeteressentialem“? Sed utique ex consequenti potest dici actum etiam in statu concreto esse prius infinitum et postea finiri, nam essentiae rerum non mutantur. Si ergo actus in statu absoluto est prius infinitus, infinitus prius erit etiam in statu concreto et nonnisi postea limitabitur.

Exacte eandem fallaciam oscillationis in termino „limitatio“ inter ideam divisionis seu transitus ex quantitate maiore ad minorem et evacuationem huius ideae committit etiam Dezza. Nam etiam Dezza docet actum in statu absoluto esse infinitum, ergo et ille concedere debet actum esse prius infinitum et nonnisi postea fieri finitum seu transire ex statu infinitatis ad statum finitudinis. Sed de facto Dezza, imitans Arnou, pariter scit in tempore opportuno evacuare conceptum limitationis. Nam legamus obiectionem, quam Dezza sibi ponit, et solutionem eiusdem. Ecce obiectio: „Videtur absurdum omnino admittere perfectiones ita elasticas ut eandem entitatem retinentes, possint evadere infinitae, si in nullo subiecto distincto recipiantur, et si in aliquo recipiuntur, evadant finitae, et capacitati huius coaptatae“. Quam obiectionem solvit Dezza ita: „Hoc esset revera absurdum. At quisnam hoc asserit? Non dicimus actum, qui iam infinitus exsistat, fieri finitum, cum in potentia recipitur, quod est absonum; sed simpliciter non posse existere actum finitum, qui non sit a potentia limitatus“<sup>1)</sup> Solutio haec potest ita explicari: Actus hic et nunc est finitus et prius nunquam fuit infinitus. Proinde potentia „limitat“ actum, qui tamen antea non fuit illimitatus. Potentia limitat actum non privando eum illimitatione, quam nunquam habuit, sed re-

<sup>1)</sup> P. Dezza, S. I., op. cit., 122, obiectio et responsio 6.

cupiendo eum talem qualis est, i. e. iam in se limitatum. Confitemur in tali lingua non esse contradictionem nonnisi quia termini sunt vacui! Vacuum enim vacuo non contradicit. Secus iuxta sensum communem contradictio est evidens: potentia limitat actum et simul non limitat, in quantum ille actus nunquam fuit illimitatus et consequenter nunquam limitatione ab alio indiguit.

Dicit quis forte: Thomisticus terminus „limitatio“ non habet eundem sensum ac in lingua communi, i. e. non significat divisionem seu transitum sive molis sive virtutis ex maiore quantitate ad minorem. Quo non obstante terminus „limitatio“ non est ideo dicendus vacuus, nam habet aliquam significationem, licet usui communi ignotam. Nempe thomistica „limitatio“ non significat nisi „c o m p o s i t i o n e m m u t u a m“<sup>1)</sup>.

Ad hoc respondemus ita: Si „limitatio“ est idem ac „compositio“ et „limitare“ idem ac „componere“, tunc tota II-a thesis thomistica ex XXIV non est nisi tautologia et petitio principii. Nam substituamus in loco termini „limitatio“ terminum „compositio“ et consequenter in loco terminorum „purus“ et „finitus“ terminos „non-compositus“ et „compositus“ etc.! Substitutione facta obtinebimus sequentem propositionem: „Actus, utpote perfectio, non componitur nisi per (cum) potentiam, quae est capacitas perfectionis proinde in quo ordine actus est non compositus, in eodem nonnisi non-compositus et unicus existit; ubi vero est compositus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem“. Inanitas talis tautologiae, quae nonnisi fallaci termino „limitatio“ tegitur, ad oculos monstrat, quam absurdum sit in hoc casu a lingua communi recedere. Tamen thomismus hodiernus non tam ideo corripiendus est, quod a lingua vulgari recedit, sed ideo, quod data occasione pro commoditate sua ex una terminologia in alteram saltat.

---

<sup>1)</sup> Haec videtur esse sententia Rozwadowski, qui cum multo labore terminologiam vulgarem cum terminologia philosophica S. Thomae conciliare studet. Cfr. Acta Acad. Romanae vol. VI, 88. 92. Apertius hoc affirmat Gazzana, cui distinctio A. Rozwadowski inter linguam vulgarem et philosophicam S. Thomae displicet. Cfr. eius articulum supra citatum.

## 3. QUO SENSU UTRAQUE OPINIO FALSA?

Praemissa analysi conceptus limitationis patet, quo sensu et opinio affirmans: „Actus non limitatur nisi per potentiam“ et opinio affirmans: „Actus limitatur a seipso“ sint pariter eidem difficultati subiectae et hinc in philosophia christiana inadmissibiles. Si nempe utraque opinio admitteret actum esse de se seu in suo statu absoluto reapse infinitum, tunc in utraque limitatio actus esset absurda. Esset absurda limitatio actus infiniti a seipso, quia infinitum seipsum „divideret“ seu privaret quantitate maiore, ergo seipsum destrueret: infinitum committeret verum suicidium. Esset pariter absurda limitatio actus infiniti ab alio, scilicet a potentia, quia infinitum sineret se dividere et destruere per finitum. Utraque hypothesis est inadmissibilis pro christianismo, secundum quem Deus, qui est vere actus infinitus, neque a seipso limitatur vel dividitur neque ab alio. In utraque hypothesis destrueretur Deus.

Sed de facto sententia suareziana non admittit actum esse de seipso seu in suo statu absoluto infinitum. Inde in illa sententia terminus „limitatio“ non connotat divisionem seu transitum quanti (sive molis sive virtutis) ex maiore quantitate ad minorem. Limitatio significat ibi solummodo simplicem praesentiam limitis in aliquo quanto. Iuxta nostram terminologiam suarezianismum ponit in ordine limitationum tamquam primam: limitationem absolutam seu metaphysicam, non vero limitationem relativam seu physicam. Sola limitatio relativa seu physica importat in suo conceptu divisionem seu transitum, non vero limitatio absoluta seu metaphysica, quae dicit tantum simplicem praesentiam limitis in aliquo quanto (molis vel virtutis). Quapropter non est absurda formula suareziana „actus limitatur a seipso“, quoniam affirmatur in ea sola limitatio absoluta et non conceditur actum esse de se infinitum. Econtra absurda dicenda est formula thomistica, in qua agitur de limitatione relativa et in qua supponitur actum esse de se infinitum. Immo in suppositione thomistica actum esse de se infinitum absurda est non solum limitatio relativa, sed etiam absoluta et — si possibilis — quaecumque alia.

## 4. FALLACIAE TERMINI „ACTUS“

## a) Fallacia duarum infinitatum

Secundum thomismum quaelibet perfectio potest appellari vocabulo „actus“. Distinguunt thomistae imprimis actum purum et ideo infinitum, qui est Deus, actum non purum et ideo finitum, qui est in qualibet creatura, et actum ut sic seu actum in suo statu absoluto. Praecise actus ut sic est fons omnium fallaciarum, nam iuxta doctrinam thomisticam actus ut sic est de se infinitus. Si haec infinitas est vera et non tantum metaphorica, tunc coincidit cum infinitate Dei. Inde sicut Actus Purus est infinitus et ideo vocari debet Deus, ita et actus ut sic seu actus in suo statu absoluto vel „puro“ est infinitus et hinc deberet pariter vocari „Deus“. Dicuntne revera thomistae actum ut sic esse Deum? Explicite non, tamen implicite mediante termino „purus“ et „infinitus“ id profitentur. Et in hoc praecise consistit thomistica fallacia. Si enim explicite et expresse et semper affirmarent actum qua actum esse Deum, tunc affirmarent quidem opinionem falsam, sed non committerent fallaciam, nam mentem suam clare aperirent. At recentiores discipuli S. Thomae timentes in hoc puncto claritatem et exactitudinem aliter procedunt. Non dicunt ita crude actum ut sic esse Deum, sed solummodo docent actum ut sic esse infinitum et nonnisi implicite suggerunt actum ut sic qua infinitum esse Deum. Tiro intelligens actum ut sic esse Deum facile concedet talem actum non posse a seipso limitari. Hoc iam obtento thomistae subito mutant suppositum, i. e. adscribunt actui ut sic non iam infinitatem divinam sed aliquam infinitatem impraecisam et vagam. Et de hac infinitate vaga et impraecisa loquuntur, quod „debeat“ limitari ab alio, scil. a potentia. Nimis enim absurdum esset supponere, quod infinitas divina „debeat“ limitari sive a se sive ab alio. Qualem ergo revera infinitatem actus ut sic habet in suo status absoluto? Veram vel non veram? Divinam vel non divinam? Patet actum ut sic non habere infinitatem veram seu divinam, quia infinitas divina nullo modo limitabilis est: neque a se

neque ab alio. Sed estne praeter infinitatem divinam alia infinitas? Suntne duae (vel plures) infinitates, quarum una scil. divina nullo modo possit limitari, altera vero possit limitari saltem ab alio, i. e. a potentia? Praeter infinitatem divinam, quae est in ordine virtutis, concipi nequit nisi infinitas, quae est in ordine molis. Sed infinitas quantitatis molis utpote non pertinens ad infinitatem virtutis non est vera infinitas, sed tantum secundum quid. Infinitas molis, sive actu sit possibilis sive non, est ergo saltem sub illo respectu simpliciter finita, i. e. habet limitationem absolutam seu metaphysicam. Proinde addere huic limitationi absolutae aliam limitationem, scil. ab alio, est iam aquam in flumen portare. Absurditas doctrinae thomisticae de limitatione demonstratur per hoc dilemma: aut actus ut sic est vere infinitus, ergo nullo modo (i. e. neque a se neque ab alio) limitari potest, aut non est vere infinitus, ergo metaphysica limitatione iam non indiget. Dilemma hoc solvi nequit nisi ope fallaciae duarum vel plurium infinitatum, ad quam recurrunt plurimi thomistae.

Idem argumentum contra postulatum thomisticum limitationis actus ab alio potest etiam proponi sic:

Actus non potest limitari ab alio nisi prius sit „limitabilis“.

Atqui esse limitabilem idem est ac esse iam simpliciter seu metaphysice limitatum.

Ergo actus limitari non potest ab alio nisi prius sit iam simpliciter seu metaphysice limitatus.

#### b) Fallacia infinitatis negativae

Notatu dignum est, quod Dezza animadvertens impossibilem esse limitationem infinitatis divinae distinguit duplicem infinitatem: infinitatem positivam et infinitatem negativam. Itaque secundum Dezza actus qua actus non est in sua essentia positive infinitus, sed tantum „negative“. Ergo limitationi subiicitur sola infinitas negativa, quae excludit quidem limitationem a se, sed non excludit limitationem ab alio, i. e. a potentia subiectiva.



Sed videamus, quomodo hoc exprimatur apud ipsum Dezza. Dezza proponit <sup>1)</sup> sibi talem difficultatem: „Actus de se non includit, sed neque excludit limitationem. Ergo“. Quam obiectio- nem deinde sic solvit: „Resp. Ex eo quod non includit limitatio- nem iam sequitur quod nequit a se limitari, si praeterea de se excluderet limitationem, neque per potentiam posset limitari. Actus igitur de se est infinitus *n e g a t i v e*, non positive“.

Quid ad hanc solutionem? 1) Dezza manifestissime commit- tit petitionem principii et ideo retorqueri potest eius argumen- tum ita: Ex eo quod actus de se non includit limitationem ab alio iam sequitur quod nequit ab alio limitari. Actus ut sic certo certius praescindit (saltem imperfecte) ab omni limitatione, ergo potest dici, quod nullam includit (saltem explicite) limitationem. Ipse Dezza etiam non audebit forte affirmare actum ut sic inclu- dere limitationem ab alio, quia tunc omnis actus, hinc etiam Actus Divinus, includeret limitationem ab alio. Quo iure igitur docet Dezza ex non-inclusionem limitationis sequi exclusionem so- lius limitationis a se, non vero etiam exclusionem limitationis ab alio? Pari modo utraque limitatio non includitur, ergo pari modo utraque excluditur, si ratio exclusionis assignatur tantum in „*n o n - i n c l u s i o n e*“. Affirmare unum prae alio non est nisi aperta petitio principii.

2) Relinquitur quoddam dubium, quid Dezza intelligat hic per „*infinitum negative*“. Ad cognoscendam eius mentem con- sultemus quosdam bonae notae auctores thomisticos et videamus, quo sensu ab iis infinitas negativa accipiatur. Cum enim Dezza propriam definitionem infinitatis negativae hic non pro- ponat, fas est supponere ipsum tenere aliquam ex currentibus in schola.

Hugon <sup>2)</sup> distinguit infinitum *p r i v a t i v e*, *p o s i t i v e* et *n e g a t i v e*. Infinitum *p r i v a t i v e*, quod se tenet ex parte potentiae, est „indeterminatio ad omnem actum, seu carentia cu- iusque actus et perfectionis in subiecto perfectionis capaci“. In-

<sup>1)</sup> P. D e z z a, S. I., op. cit., 121.

<sup>2)</sup> E. H u g o n, O. P., op. cit., 180.

finitum positive, quod se tenet ex parte actus, est „entitas, seu perfectio, quae in suo ordine nullo coarctatur limite“. Infinitum demum negative est secundum Hugon „entitas carens limite ex eo quod in se nihil habeat quod possit terminari: huiusmodi sunt punctum et unitas, quae propter suam indivisibilitatem non habent terminum, sed ipsa sunt terminus“. Annotat tamen Hugon, quod „hic est sensus specialissimus nec multum in usu“ et quod „non raro infinitum negative confunditur cum infinito positive, quod positivum quidem est quoad entitatem, sed negative nominatur et concipitur“.

De Mandato <sup>1)</sup> post brevem descriptionem infiniti in ratione actus et infiniti in ratione potentiae talem addit notam: „Quod est infinitum in ratione actus dicitur infinitum negative, quia neque habet limites, neque his indiget ad hoc ut sit. Quod est infinitum in ratione potentiae dicitur infinitum private, eo quod in se non habet limites, quibus tamen indiget ad hoc ut sit. Et ideo quoties id, quod est simpliciter infinitum in ratione potentiae, reducitur in actum, resultat necessario aliquid finitum simpliciter sub quacumque ratione actualitatis, quia tum in ordine existentiae tum in ordine essentiae absque limitibus esse nequit. Hisce declaratis bene etiam intelliges ea, quae habet S. Thomas in Summa Ip. q. 7. aa. 2. 3. et 4. quem confer“.

Alio sensu accipit infinitum negative Liberatore <sup>2)</sup>. Ad obiectionem cartesianorum: notionem quidditatis abstractae esse notionem infiniti respondet negando. Et ita ratiocinatur: „illa quidditatis notio, ut in Logica explicavimus, limites nec includit nec abiicit; sed mere offert essentiam obiecti indeterminate accepti. Unde in rigore loquendo nec finita nec infinita dici potest. Ad summum si appellari velit infinita, addendum erit restrictio, negative; quatenus nempe non includit limites, quamvis neque excludat. Sed, uti clarum est, huiusmodi infinitum differt

<sup>1)</sup> P. De Mandato, S. I., op. cit., 1, 345 sq.

<sup>2)</sup> M. Liberatore, S. I., op. cit., 2, 105.

ab illo, de quo praesens agitur controversia; hoc enim est infinitum *p o s i t i v e*, cum limites non modo non includat, sed prorsus excludat. Ulterius declaratur notio infiniti negative et positive apud Liberatore ita <sup>1)</sup>: „Notio absoluta infiniti non habetur, nisi per id quod ipsum plane discernit a finito. Atqui hoc non est, nisi totalis et positiva limitum remotio. Etenim si limes ex aliqua parte relinquatur, ex ea finitum constituitur; sin limes negative tantum removetur, idest nec affirmetur nec negetur, habebitur aliquid, quod per se praescindit a finito et infinito, et cum utroque componi potest. Non igitur habebitur absolute infinitum. Ut igitur hoc habeatur, ex omni parte et positive limites abiici debent“.

Quid ergo intelligit Dezza per actum infinitum negative? Certissime non punctum etc., neque supponendus est confundere actum infinitum negative cum actu infinito positive, cum expresse opponat unum alteri. Restat ergo, ut pro Dezza actus positive infinitus sit Actus Divinus, qui limites non solum non includit sed etiam excludit, actus vero negative infinitus sit in sensu Liberatore actus abstractus, qui limites nec includit nec excludit, sed ab eis praescindi et ideo tum cum actu positive infinito tum cum actu positive finito componi potest. Si ergo actus ut sic habet solum infinitatem negativam, quae nihil aliud est quam indifferentia conceptus abstracti ad modos singulares, manifeste evacuatur problema ontologicum limitationis. In tali enim suppositione iam non datur vera et realis infinitas, sed solummodo indeterminatio logica humanae ideae. Valetne Dezza probare infinitatem negativam, diversam sane ab infinitate positiva Dei, esse realem, non fictam, non metaphoricam, non falsam? Dezza omnino recte denegat actui ut sic infinitatem positivam seu divinam tribuendo ei tantum sic dictam „infinitatem“ negativam, quae pertinet non ad quod cognoscimus de actu, sed ad modum quo actum cognoscimus. Hoc faciendo videtur Dezza reverti ad positionem scholae suarezianae. Mirandum tamen est, quod Dezza non conspiciat suam „infinitatem nega-

---

<sup>1)</sup> Ibidem, 2, 106.

tivam“ auferre basim ac fundamentum pro thomistico postulato limitationis ab alio. Infinitas enim negativa non est vera infinitas, ergo vera limitatione non indiget. Infinitas actus ut sic et necessitas limitationis ab alio est nonnisi thomisticus lusus verborum.

c) Fallacia „actus ut sic“ ut „actus quo“

Neothomismus complacet sibi in affirmatione existentiam esse actum actuum, culmen actualitatis <sup>1)</sup>). Cum vero iuxta doctrinam thomisticam praecise proportione ad dictam existentiam constituatur conceptus entis („ens dicitur ab esse“), sponte oritur quaestio, utrum actus ut sic sit idem ac ens ut sic, necne. At etiam in hac quaestione doctrina thomistica non videtur satis clara.

Existentia (esse) potest vario modo considerari: abstracte vel concrete, ut correlatum alicuius essentiae seu ut *e n s t a l e q u o* vel ut absolutum ab omni relatione seu ut *e n s t a l e q u o d* (Deus), ut *e n s t a l e* vel ut *e n s u t s i c*. In quantum existentia opponitur essentiae, in tantum est „ens tale quo“ et consequenter neque est confundenda cum „ente tali quod“ neque cum „ente ut sic“. Proinde etiam actus ut sic qua synonymon existentiae ut sic nequit confundi sive cum ente tali quod sive cum ente ut sic. Et tamen thomismus loquitur solemniter de illimitatione tou esse ut sic seu de illimitatione actus ut sic. Quo sensu igitur sumitur tunc existentia-actus? Certe non deberet sumi ut ens tale quo, quia ens tale quo iam ex hypothesi non est illimitatum. Illimitatio entis quo non est illimitatio simpliciter, sed tantum illimitatio secundum quid. Ideo v. g. existentia Dei, quae est vere infinita, non est ens tale quo. Si ergo est sermo de infinitate existentiae ut sic, haec non potest opponi essentiae, quia sic aliquid ei deesset, scil. positivitas essentiae, sed debet illam in sua totalitate quodammodo includere. Ergo re-

---

<sup>1)</sup> Cf. R. Garrigou-Lagrange, O. P., *Applications tum physicae tum metaphysicae doctrinae de actu et potentia secundum S. Thomam*, art. cit. 37; J. de Finance, op. cit., 115.

linquitur, ut existentia ut sic identificetur cum ente nominaliter sumpto. Proinde sequitur, quod etiam actus ut sic in quantum convertitur cum existentia (esse) idem significet ac ens ut sic nominaliter sumptum. Sed tunc (si actus ut sic = ens ut sic) fallacia est dicere, quod extra actum est potentia, quae illum determinet. Nam extra ens ut sic revera nihil est. Potentia est ens tale quo. Iamvero ens tale quo inepte diceretur dari „extra“ vel „praeter“ ens ut sic. Inter ens ut sic et ens tale quo non intercedit oppositio duarum rerum, sed tantum oppositio confusioris et expressioris conceptus unius eiusdemque realitatis. Hoc sensu „praeter“ vel „extra“ ens ut sic non solum esset potentia, sed etiam omnia entia talia, v. g. equus, Angelus, Deus. Sed quinsnam ita se exprimeret? Simul autem ac distinguuntur et opponuntur ad invicem entia talia quibus, eo ipso supponuntur limitata in se ipsis. Ens quo qua ens quo iam concipitur in seipso limitatum, ergo prima limitatione ab alio non indiget, sed ad summum posset indigere limitatione secunda, i. e. ulteriore. Sed evidenter haec secunda et ulterior limitatio ab alio debet probari et non a priori supponi. At potius dicendum ipsum problema sic perverse poni. Nam ipsa distinctio „entium quibus“ non est legitima ac consequens in supposito thomistico, quod ens qua ens sit infinitum. Thomismus deberet ostendere, quid causet, ut ens de se infinitum degradetur ad gradum tum entis quo actualis tum entis quo potentialis. Garrigou-Lagrange saepius obiicit insolubilitatem argumentorum Parmenidis et Spinozae ei, qui non admitteret praeter esse de se infinitum dari potentiam finitam et limitantem illud esse infinitum<sup>1)</sup>. Sed praecise solutio, quam ipse dat, non satisfacit difficultati. Equidem in solutione Garrigou-Lagrange adest fallacia confusionis inter esse prout convertitur cum „ente ut sic“ et esse prout convertitur cum „ente tali quo“ seu esse prout contradistinguitur a positivitate essentiae. Parmenides ponit difficultatem in linea entis ut sic nominaliter sumpti et supponit ens ut sic esse univocum sicut genus<sup>2)</sup>. Ergo error Garri-

<sup>1)</sup> R. Garrigou-Lagrange, O. P., op. cit., 39, 40, 41.

<sup>2)</sup> Cf. S. Thomas, In Metaphys. 1, c. 5, l. 9.

gou-Lagrange consistit in eo, quod primum temerarie concedit difficultati parmenideae in linea entis ut sic et deinde cum manifesta ignorantia elenchi solutionem afferre sperat per distinctiones in linea entis talis. Mens Garrigou-Lagrange redit ad hoc: concedo ens ut sic esse de se univocum, unicum, infinitum, sed distinguo entia quibus, scil. existentiam, praeter quam datur essentia. Garrigou-Lagrange non videt suam solutionem non habere vim contra Parmenidem. Nam distinctio entium talium, sive ea sint „entia quae“ sive „entia quibus“, est praecise — supposita univocitate, immo unicitate et infinitate entis ut sic — impossibilis. Parmenides ex logica univocitate conceptus entis ut sic concludit unicitatem entis in ordine reali. Garrigou-Lagrange vero putat iam satis refutare Parmenidem dicendo, quod praeter unum ens quo in ordine reali detur aliud ens quo. Patet Parmenidem per hanc enumerationem „entium quibus“ non plus commoveri, quam si quis simpliciter enumeraret „entia talia quae“ et v. g. diceret, quod praeter arborem detur lapis, angelus vel Deus. Ad confutandum Parmenidem confutare oportet et sufficit eius ideam de univocitate conceptus entis ut sic, minime vero iuvat recurrere ad distinctiones plus vel minus „profundas“ in linea entis talis. Hinc nimia videtur confidentia Garrigou-Lagrange in sua „solutione“ difficultatis parmenideae, quam putat insolubilem pro Suarez et aliis.

Nec dicas analogiam entis ut sic in ordine logico praesupponere distinctionem entium quibus in ordine ontologico. Nam ad analogiam ontologice fulciendam sufficeret in rigore terminorum distinctio „entium quae“, v. g. monadum ad mentem Leibnizii; dicere autem omnia „entia quae“ requirere ad suam intrinsicam constitutionem „entia quibus“ est apertissima fallacia petitionis principii. Sed revera non tam analogia dependet a compositione entium quibus quam vice versa omnis compositio entium quibus dependet ab analogia, quae natura prior esse videtur. Invocari hic saltem potest iuxta Descoqs<sup>1)</sup> auctoritas

---

<sup>1)</sup> P. D e s c o q s, S. I., *Essai Critique sur l'Hylémorphisme*, 145.

Cajetani, qui dicit: „esse prius natura est in seipso tantae perfectionis, puta finitae vel infinitae, quam sit receptibile aut irreceptibile in hoc vel in illo“<sup>1)</sup>).

d) Fallacia univocitatis τὸν esse ut sic

Iam pluries diximus distinctionem thomisticam entium quibus fundari in eleatico supposito, quod esse ut sic habeat univocitatem generis. Hoc primo adpectu potest videri incredibile, quia fere omnes auctores thomistici in tractatibus ontologicis prius docte de analogia entis disserunt et postea hac analogia entis expresse supposita de actu et potentia et de principio limitationis disputant. Sed de facto haec est ingens fallacia neo-thomistica, quod in prima parte Ontologiae defendentes analogiam reiiciunt parmenideam univocitatem entis et in secunda parte Ontologiae occasione quaestionis de limitatione subito et subreptitie revertuntur ad positionem Parmenidis τὸν esse ut sic esse univocum. Hoc mirabile factum consciae vel inconsciae adoptionis sententiae a se condemnatae non est facile detegere praecise propter suam contradictionem internam, quam nemo audet statim suspicari. Et tamen thomista, qui defendere vult principium limitationis, est reapse eleates occultus. Qui enim docet esse ut sic possidere de se veram infinitatem, quae omni diversificatione a se careat, is docet rationem τὸν esse ut sic esse omnino unam, univocam, unicam. Iamvero hoc praecise docuit schola eleatica. Nemo non videt hoc initiali errore concessio iam nullam distinctionem entium quibus ab eleatismo et spinozismo salvare. Aut enim esse infinitum qua infinitum neque a seipso neque ab alio limitari potest, aut illud esse infinitum limitatur sive a seipso sive ab alio et ita divisum ac scissum in innumerabiles partes fit causa materialis vel formalis rerum. Utraque hypothesis est manifestus pantheismus.

---

<sup>1)</sup> C a j e t a n u s, In I Partem Summae, q. 7, a. 1.

## 5. CASUS ANGELORUM

Interna incohaerentia principii limitationis ad oculos manifestatur in casu angelorum. Discordia in ipsa schola neothomistica quoad explicationem limitationis perfectionis angelicae est iam externum signum istius contradictionis intrinsecae in doctrina de principio limitationis. Recens discussio inter Rozwadowski et Gazzana <sup>1)</sup> est optimum exemplum istius discordiae doctrinalis et non potest nisi confirmare falsitatem thesisi neothomisticae. Quam ob rem adversarii principii limitationis tum veteres tum recentiores numquam hunc casum angelorum in suis obiectionibus praetermittunt. Impugnatio ex hoc capite est facillima, quia sufficit opponere argumenta patronorum duplicis limitationis actus argumentis patronorum unice limitationis actus, quae argumenta certe thesimum thomisticam probare non valent, at saltem valent se mutuo destruere.

Dicunt ergo thomistae limitationem angeli explicari per compositionem actus cum potentia, quae in eo accidit. Esse angeli nempe, quod est veluti actus, recipitur in eius essentia, quae est veluti potentia, et hinc intelligitur limitari. Limitatio haec, qua afficitur actus entitativus angeli ex receptione in eius essentia, appellatur a tota schola thomistica limitatio *i n o r d i n e e n t i s*. Quoad hoc punctum discipuli S. Thomae non dissentiant.

Dissent tamen, si ponitur quaestio de limitatione angeli iam non in ordine entis, sed in ordine essentiae. Essentia angelica enim est etiam formaliter et proprie actus, cum neque sit potentia pura seu materia prima neque sit potentia composita cum actu utpote de se simplex. Cum igitur essentia angelica sit de se actus, debet explicari, quomodo limitetur in suo ordine essentiae ut essentiae, si iam non recipitur in aliqua potentia. Viderunt hanc difficultatem tales discipuli S. Thomae ut Remer, Gény, Gredt, Rozwadowski et ideo adstruxerunt duplicem modum limitationis actus. Nempe uno modo actus limitatur per

---

<sup>1)</sup> A. R o z w a d o w s k i, S. I., op. cit., et. A. G a z z a n a, S. I., op. cit.



receptionem in potentia, altero modo actus limitatur in quantum ipse est simul potentia ad actum ordinis superioris. Hic secundus modus limitationis evidenter subaudit adagium auxiliare, scil. potentiam limitari a seipsa. Licet enim haec expressio „potentia limitatur per seipsam“ post impugnationem Gazzana displiceat ipsi Rozwadowski, secundum quem proprie loquendo neque actus neque potentia limitantur a seipsis, tamen Rozwadowski admittit ut per se notum potentiam qua potentiam involvere in suo conceptu imperfectionem seu limitationem. Solum hoc sensu debet iuxta Rozwadowski intelligi illud adagium Remer, quod ideo quoad rem negari nequit, quamvis ipsa formula „potentia limitatur per seipsam“ utpote aequivoca evitanda sit. Supposito igitur hoc principio, quod scil. potentia ut sic involvat in suo conceptu imperfectionem, intelligibilis iam redditur secundus modus limitationis actus. Actus nempe potest esse realiter simul potentia non quidem sub eodem respectu, sed sub diverso, scil. sub respectu ad actum ordinis superioris. Itaque pro Rozwadowski verum manet principium, quod nonnisi potentia limitet actum, dummodo concedatur potentiam limitantem posse esse vel re vel ratione distinctam. Si actus et potentia sunt in eodem ordine, tunc actus limitatur per potentiam realiter distinctam, si vero actus et potentia sunt in diverso ordine, tunc actus limitatur per potentiam sola ratione distinctam. In hoc ultimo casu actus „limitatur a seipso“ non quidem „f o r m a l i t e r“ qua actus, sed solum „m a t e r i a l i t e r“ qua identicus realiter cum potentia ad actum ordinis superioris. Potentia enim intelligitur limitata per seipsam, non quasi a se involvat negationem ulterioris extensionis sui seu „transeat“ ex maiore capacitate ad minorem, sed quia a se qua potentia ante actuationem involvit imperfectionem. Essentia angelica est praecise simul actus et potentia sed sub diverso respectu. Qua actus non recipitur et ideo deberet esse simpliciter infinita sicut Deus. Sed de facto hic „a c t u s e s s e n t i a l i s“ est simul potentia ad actum superiorem et ideo qua potentia involvit in se imperfectionem seu limitationem. Consequenter essentia angelica non est infinita simpliciter, i. e. non habet infinitatem divinam, sed so-

lum est infinita secundum quid, nempe in sola specie. Qua irrecepta est infinita in specie, qua recipiens seu „receptiva“ est simpliciter finita a se ad hanc vel illam speciem. Ut ergo actus sit infinitus simpliciter, debet esse iuxta Rozwadowski et irreceptus et irreceptivus. Proinde sola irreceptio non sufficit ad demonstrandam infinitatem Dei, quia tunc omnis essentia angelica haberet eo ipso infinitatem divinam. Ergo patroni unici modi limitationis actus non possunt secundum Rozwadowski explicare, cur non obstante irreceptione adsit diversitas specierum in angelis et non una, unica et infinita essentia identica cum suo esse. Iuxta Rozwadowski haec difficultas solvi nequit, nisi saltem tacite supponatur praeter primum modum etiam secundus modus limitationis. Sic v. g. tacite alterum modum limitationis admittunt Mauri et Mattiussi, quorum ergo auctoritas invocari contra duplicem modum limitationis actus non debet<sup>1)</sup>, Rozwadowski affert etiam multos textus S. Thomae in favorem duplicis limitationis actus.

Alii thomistae econtra, ut v. g. Gazzana, Dezza, putant casum angelorum nullo modo appellare duplicem modum limitationis actus, qui iuxta eos est contra mentem Aquinatis, contra auctoritatem XXIV thesium et contra simplicitatem principii. Admittere aliquem actum limitari per potentiam, quae non sit nisi ratione distincta, est idem secundum eos ac admittere actum limitari de facto per seipsum, quod praecise docet Suarez<sup>2)</sup>. Hi thomistae bene perspiciunt ita ipsum principium limitationis actus per potentiam perdere partialiter suam vim, immo totaliter everti. Gazzana distinguit quidem cum Rozwadowski limitationem propriam actui, quae est imperfectio, et limitationem propriam potentiae, quae est perfectio, et concedit actum inferiorem posse esse potentiam ad actum superiorem, sed vituperat eius distinctionem limitationis in sensu vulgari et philosophico S. Thomae et consequenter reprobatur formulam „potentia limitatur per seipsam“. Non ex eo formaliter dicendus est iuxta

<sup>1)</sup> A. R o z w a d o w s k i, S. I., op. cit. VIII, 210.

<sup>2)</sup> A. G a z z a n a, S. I., op. cit., 69.

Gazzana angelus finitus, quod eius essentia est potentia ad alium actum, sed ex eo quod est „c o m p o s i t u s“ ex potentia et actu; non in ordine essentiae utpote actus irrecepti est angelus finitus, sed in ordine entis, in quantum esse eius recipitur in eius essentia. Similia autumat Arnou, qui dicit: „essentia angelica est potentia limitans et non actus limitatus“. Iuxta Arnou essentia angelica est actus in ordine essentiae tantum et in hoc ordine est actus vere illimitatus. Ad quaestionem, quam movet v. g. Rozwadowski, unde sit diversificatio essentiarum, respondet candide idem Arnou ita: „Revera, essentiae sunt diversae seipsis, quia sunt diversi modi imitandi Essentiam divinam, sed tota limitatio se tenet ex parte actus essendi qui recipitur. Etenim, quod una essentia non habeat totam perfectionem possibilem vel non habeat perfectionem aliarum essentiarum, hoc dicit limitationem in ordine essendi, non in ordine essentiae, nam unaquaeque habet sine limitatione totam suam perfectionem, quam cum nullo alio communicat“<sup>1)</sup>. Similiter explicat rem Dezza: „difficultas vero desumpta ex angelis, qui sunt entia finita quamvis eorum essentia non sit recepta in potentia, facile solvitur ex eo quod angeli sunt finiti in ratione entis quia eorum esse est receptum in essentia seu potentia“<sup>2)</sup>.

Fallitur certe Rozwadowski, si putat adversarios singulariter insistere in unico modo limitationis ideo, ut facilius doctrina thomistica impugnari possit<sup>3)</sup>. Non propter facilitatem impugnationis, sed propter manifeste maiorem simplicitatem et cohaerentiam cum ipsa formula principii limitationis commendatur unicus modus limitationis actus. Sed revera neuter modus est inexpugnabilis, ut thomistae sive huius sive illius campi sibi blandiuntur. Remer, Rozwadowski etc. in casu angelorum saltem vident difficultatem, quam praecise ope theoriae duplicis limitationis solvere conantur. Gazzana autem et consortes ita se gerunt ac si casus angelorum nullam difficultatem faceret;

---

<sup>1)</sup> R. A r n o u, S. I., op. cit., 42 sq., responsio ad obiectionem 4 et 5.

<sup>2)</sup> P. D e z z a, S. I., op. cit., 119

<sup>3)</sup> A. R o z w a d o w s k i, S. I., op. cit., VI, 100.

similes sunt homini, qui clausis oculis diceret: „Non video hic trabem, ergo trabs hic non est praesens“. Gazzana, Arnou, Dezza etc. nihil faciunt nisi affirmant suam affirmationem seu petunt principium et ipsam difficultatem nec tangunt. Utraque opinio tamen occasione angelorum ad contradictionem reducitur.

Nam in solutione Remer intelligibilis quidem redditur limitatio essentiarum angelicarum, sed de facto reicitur simul ipsum principium limitationis actus per potentiam. Cum enim concedatur actum limitari posse per potentiam solum logice distinctam, realiter vero identicam, eo ipso ianua aperitur suarezianismo, secundum quem actus realiter limitatur a seipso. Distinctio logica utique non sufficit ad dividendam rem contra seipsam, proinde limitari ab elemento nonnisi logice distincto — realiter idem est ac limitari a seipso<sup>1)</sup>. Sed semel admissa possibilitate limitationis alicuius actus a seipso in uno casu iam nulla adest necessitas adstruendae limitationis actus ab alio in reliquis casibus. Sic ergo patroni duplicis limitationis duo secum pugnancia affirmant: actum nunquam limitari a seipso, sed tantum ab alio, et actum quandoque limitari a seipso et non tantum ab alio, scil. in casu realis identitatis actus cum potentia.

Nec dicas tum solum actum limitari a seipso, quando datur actus superior, per quem perfici possit. Nam praecise negatur legitimam esse hic ipsam distinctionem inter actum inferiorem et superiorem. Quaeritur praecise, unde oriatur actus „inferior“, si verum est principium actum de se esse infinitum. Quomodo actus de se infinitus potest dici „inferior“? Actus de se infinitus non potest eligere inferioritatem vel superioritatem, sed necessario erit „superior“ in hoc sensu, in quo infinitas tali nomine appellari potest. Affirmant quidem defensores duplicis limitationis duos esse actus in angelo, scil. actum inferiorem et actum superiorem, sed non explicant, quid diversificet actum de se infinitum in actum inferiorem et superiorem. Unde haec dualitas in actu de se uno?

---

<sup>1)</sup> Cf. P. D e s c o q s, S. I., op. cit., 152.

In solutione autem Gazzana, Dezza etc. contradictio est evidentior. Nam ex una parte vi principii limitationis dicitur actum irreceptum qua irreceptum esse infinitum infinitate divina et ex altera parte dicitur aliquem actum irreceptum, nempe essentiam angelicam, non esse infinitum infinitate divina, sed tantum „infinitate“ specifica. Restringunt quidem hi auctores irreceptionem ad unum determinatum ordinem, distinguentes pariter ac defensores duplicis limitationis „o r d i n e m e s s e n t i a e“ et „o r d i n e m e n t i s“. Sed nonne iam in hac distinctione ordinum includitur fallacia petitionis principii? Quo iure praecise affirmatur actum qua actum pertinere potius ad ordinem essentiae quam ad ordinem entis? Si actus irreceptus qua talis est infinitus, tunc quo iure coarctatur eius infinitas solum ad ordinem essentiae? Infinitas vera non potest arbitrarie claudi in uno ordine, sed omnes ordines implet et transcendit. Aut ergo irreceptio actus nihil habet ad infinitatem aut essentia angelica non est vere actus irreceptus; si enim irreceptio esset causa infinitatis et essentia angelica esset vere actus, tunc angelus non esset angelus, sed Deus. Agnoscere actum irreceptum in angelo est agnoscere Deum in non-Deo, quod est contradictio in terminis. Admittere econtra aliquem actum irreceptum esse *E s s e n t i a m D i v i n a m* identicam cum sua existentia et aliquem actum irreceptum esse *e s s e n t i a m a n g e l i c a m* realiter distinctam a sua existentia est renegare ipsum principium cum tanto labore erectum. Nam eadem causa, scil. irreceptio, non eundem apportat effectum, sed diversos, scil. infinitatem absolutam in uno casu et infinitatem specificam in alio casu. Loco rigorosi metaphysici principii, quod non patitur exceptiones, statuitur aliquid arbitrarium et illogicum.

Nec dicas irreceptionem esse eandem, sed actum, cuius est irreceptio, non esse eundem, cum in Deo sit irreceptio actus superioris seu „e n t i t a t i v i“, in angelo autem sit irreceptio actus inferioris seu „e s s e n t i a l i s“. Nam qui ita dicit, iam concedit antecedenter ad irreceptionem et independentem ab ea dari diversificationem actus in inferiorem et superiorem,

in essentialem et entitativum; quo concesso iam otiose ponitur ratio limitationis actus in eius receptione et ratio illimitationis actus in eius irreceptione. Distinguere hic inter actum inferiorem et superiorem, inter actum entitativum et essentialem etc. non sufficit, nam ipsa haec distinctio est prius iustificanda. Monstrandum nempe prius est, ubi sit fundamentum diversificationis actus in inferiorem<sup>4</sup> vel superiorem etc. Iuxta doctrinam thomisticam actus in suo statu absoluto nec est inferior nec superior, sed simpliciter „s u p r e m u s“, i. e. infinitus, transcendens essentiali et existentiam. Irreceptio vero actus in ordine reali affirmatur iuxta eandem doctrinam esse causa necessaria realis infinitatis et transcendentiae eius. Unde ergo oritur divisio actus in entitativum et non-entitativum, in inferiorem et superiorem?

Breviter contra utramque solutionem thomisticam casus angelorum ita obiici potest: aut essentia angelica limitatur per seipsam, ergo falsum est suppositum actum non posse limitari a seipso, aut essentia angelica non limitatur per seipsam, ergo est simpliciter infinita sicut Deus, nam potentia limitans deest, alius actus autem nequit iuxta placita scholae limitare, sed tantum perficere. Revera facilius esset neothomismo negare angelos quam eis istud pseudo-metaphysicum principium limitationis stricte applicare.

## 6. CASUS POTENTIAE

De originali vitio in ipso conceptu potentiae qua principii limitantis iam supra diximus. Nempe potentia, ne sit principium manichaeum, deduci debet ex actu infinito, tamquam eius effectus. Si causatur per limitationem actus infiniti, tunc, ne sit regressus in infinitum, actus infinitus dicendus est limitari a seipso ad istum humillimum gradum entis potentialis, quo admissio renegatur thomisticum postulatum de non-limitalibitate actus (de se infiniti) a seipso. Si econtra potentia causatur per actum infinitum, sed non per limitationem eiusdem actus infiniti, tunc a priori non patet, cur et alii termini seu effectus

non possint causari per actum infinitum, quin ad ullam limitationem eiusdem recurratur. Fallacia actus „s i m p l i c i t e r i n f i n i t i“ et actus „d e s e i n f i n i t i“ non est certe argumentum pro potentia limitante.

Sed praeterea omitti non debet quaestio de „differentiatione“ interna potentiae<sup>1)</sup>. Ex definitione potentiae (positiva capacitas actus) omnes thomistae concludunt potentiam involvere negationem perfectionis. Et hoc sensu potentia est ens a se limitatum. Ideo etiam Remer formavit axioma: „Potentia limitatur per seipsam“. Gazzana et alii impugnant hanc expressionem, quia prae oculis habent solummodo „limitationem“ potentiae per actum, quae est perfectio, quaeque proinde non est limitatio in sensu vulgari. Evidenter si de „l i m i t a t i o n e p e r f e c t i v a“ agitur, tunc certe potentia non limitatur per seipsam, sed per actum. Tamen recte animadvertit Rozwadowski<sup>2)</sup> potentiam in se consideratam, i. e. ante suam actuationem per actum, esse sine dubio aliquid limitatum, in quantum involvit negationem perfectionis. Proinde saltem sub hoc respectu licet dicere potentiam per seipsam limitari. Sed Remer per hanc formulam plus intelligit, scil. potentiam per seipsam habere internam „differentiationem“ seu per seipsam includere diversitatem graduum potentialitatis. Dicit enim Remer<sup>3)</sup>: „Potentia est capacitas perfectionis. Sed capacitas alicuius perfectionis intelligitur per se limitari. Intelligitur enim quod sit haec et non alia, et quod sit tanta et non maior, quia est haec capacitas et non omnis, tanta et non maior capacitas perfectionis. Scilicet tota realitas potentiae subiectivae est suus ordo ad actum sibi respondentem. Atqui potest haberi alius et alius ordo ad alium et alium imo et a d e u n d e m actum. Ergo potest haberi alia et alia potentia, quin aliud requiratur per quod limitetur. Remer invocat pro suo axioma auctoritatem S. Thomae: „sed

<sup>1)</sup> Cf. L. F u e t s c h e r, S. I., op. cit., 65—66; 74 sq.

<sup>2)</sup> A. R o z w a d o w s k i, S. I., op. cit., VI, 92 nota; VI, 97 nota; VII, 225 nota; VIII, 228.

<sup>3)</sup> V. R e m e r, S. I., op. cit., 36.

diversae materiae seipsis distinguuntur secundum analogiam ad diversos actus, prout in eis diversa ratio possibilitatis (potentialitatis) invenitur“. Patet apud Remer adesse quandam haesitationem quoad causam diversitatis intrinsecae in potentia. Certe admittitur causam hanc esse formaliter diversam relationem. Sed quaeritur utrum diversa relatio causetur per diversos actus, vel per eundem. Remer videtur utrumque simul admittere, quando dicit: „potest haberi alius et alius ordo ad alium et alium, imo et ad eundem actum“. At textus S. Thomae videtur repetere diversitatem in materia ex diversitate actuum. Sed parvi refert, quid exacte de hoc senserit ibi S. Thomas. Quae attulimus, sufficiunt ad difficultatem animadvertendam. Aut enim committitur circulus vitiosus: si diversitas actus sumitur ex diversitate potentiae et vice versa diversitas potentiae ex diversitate actus, aut supponitur potentiam esse a seipsa inrinsece diversam antecedenter ad actum, qui praecise subsequenter per relationem ad diversas potentias in se diversificatur seu limitatur. Jamvero suppositio potentiam per seipsam diversificari minime est evidens. Potentia enim qua potentia includit secundum thomismum aliquid negativum, scil. privationem perfectionis. Atqui negatio seu non-ens diversificari de se non potest. Ergo potentia qua potentia de se diversificari non potest. Unde igitur repetenda est haec diversificatio?

Aliqui auctores, ut Dezza, evitant quaestionem, num et quomodo limitetur potentia. Ideo Dezza dicit: „potentia enim est limes qui limitat actum, ut in pr. 7 dicemus, at limes proprie non limitatur<sup>1)</sup>. Arnou<sup>2)</sup> admittit limitationem potentiae perfectivam per actuationem, sed ipsam potentiam in se concipit tanquam *capacitatem illimitatam*“: „cum (potentia) de se dicat privationem omnis actus et proinde capacitatem illimitatam...“ Bremond<sup>3)</sup> appellat potentiam puram „*il-limitationem et mysterium deficientiae*“.

<sup>1)</sup> P. D e z z a, S. I., op. cit., 118.

<sup>2)</sup> R. A r n o u, S. I., op. cit., 40 nota 18.

<sup>3)</sup> A. B r e m o n d, S. I., op. cit., 273.



Evidens est igitur auctores modernos nolle vel non posse explicare diversificationem intrinsecam potentiae ut sic seu eius limitationem (in sensu vulgari acceptam) antecederet ad diversificationem seu limitationem actus. Diversitas rerum manet proinde inexplicabilis. Quomodo enim „illimitatio et mysterium deficientiae“ potest esse multiplex et proinde diversificans actum, qui de se est pariter „illimitatio et mysterium perfectionis“?

Nec dicas ad limitationem explicandam sufficere compositionem istius deficientiae cum perfectione. Nam, dato non vero concesso veram infinitatem perfectionis posse componi cum vera infinitate deficientiae, compositio talis explicaret solummodo unicum ens compositum nullo modo autem diversitatem entium compositorum. Revera difficultas haec est pro thomismo insolubilis: actus de se non est intrinsece diversificatus (diversificatio = limitatio saltem in uno diversorum), potentia autem similiter nihil habet, ut de se diversificetur. Diversitas et multiplicitas rerum esset impossibilis. Ad summum daretur unicum ens compositum ex una, unica, infinita potentia et uno, unico, infinito actu, vel duae infinitates iuxta se positae, sed frustra expectaretur inde diversitas rerum.

Non restat ergo nisi ut revertatur ad positionem Remer potentiam a se diversificari. Suggestit hoc praecise Rozwadowski, qui ita dicit: „esse Angeli est limitatum... in communi et analogia ratione esse. Similiter essentia Angeli... est limitata in communi et analogia ratione essentiae. Paritas est omnimoda“<sup>1)</sup>. Non longe abest et Arnou, qui scribit: „Revera, essentiae sunt diversae seipsis, quia sunt diversi modi imitandi Essentiam divinam...“<sup>2)</sup>. Sed nemo non videt hanc solutionem nihil differre a positione suareziana. Suarez enim dicit actus seipsis esse diversos qua diversos terminos divinae imitabilitatis. Arnou vero restringit quidem — evidenter illogice — hanc diversitatem a se ad actus essentialia, sed eo ipso concedit aliquos actus seipsis esse diversos. Rozwa-

<sup>1)</sup> A. R o z w a d o w s k i, S. I., op. cit., VIII, 222 nota.

<sup>2)</sup> R. A r n o u, S. I., op. cit., 43.

dowski rursus concipit actus-essentias tanquam analogata primo diversa seu seipsis differentia unius communis et analogae rationis „essentia e ut sic“. Quid obstat, quominus omnes actus, etiam entitativi, concipiantur tanquam analogata primo seipsis diversa unius communis et analogae rationis „actus u t sic“? Ad quid prodest quaerere mediationem potentiae pro diversificatione actus, si diversificatio ipsius potentiae est adhuc obscurior? Revera, qui ponit rationem diversitatis actus non in ipso actu ut sic sed in potentia ut sic, is non solvit difficultatem, sed tantum removet. Dolendum utique est hoc posse a multis proponi tamquam exemplum „profunditatis metaphysicae“.

#### 7. SOLVITUR ARGUMENTUM NEOTHOMISTARUM

Denuntiatis potissimis fallaciis, quae latent in singulis terminis principii limitationis, non est iam difficilis quoad rem solutio argumenti neothomistici. Dico: quoad rem. Nam quoad formam res patitur quandam difficultatem propter multiloquium neothomistarum, qui hucusque breve, clarum et simplex argumentum conficere non potuerunt. Varii auctores vario modo idem argumentum proponunt.

Argumentum reducitur ad hoc, quod perfectio qua perfectio, quae venit nomine actus, non est „negatio perfectionis“, quae venit nomine limitationis, ergo est illimitata seu infinita. Iuxta thomistas analysis conceptus perfectionis detegit primum non-inclusionem conceptus negationis perfectionis. Deinde ex non-inclusionem in perfectione negationis perfectionis infertur exclusio huius negationis perfectionis, at non exclusio omnis negationis, sed tantum exclusio negationis a se. Denique ex exclusionem negationis a se et e non-exclusionem negationis ab alio infertur peremptorie negatio ab alio tamquam unica ratio cuiuslibet limitationis actus.

Quid ad hoc argumentum respondendum est? 1) Retorqueo: perfectio de se infinita est de se Deus. Atqui Deus neque a se

neque ab alio limitari potest. Ergo perfectio de se infinita neque a se neque ab alio limitari potest.

2) Fallaciose ponitur quaestio, utrum perfectio qua perfectio sit vel non sit negatio perfectionis. Nam revera non solum perfectio qua perfectio non est negatio seu limes seu limitatio, sed etiam perfectio limitata de facto non est negatio vel limes vel limitatio. Perfectio limitata „habet“ litem, sed non est limes, „habet“ limitationem, sed non est limitatio, „habet“ negationem, sed non est negatio. Immo stricte loquendo etiam perfectio limitata non „habet“ negationem, quia negatio est formaliter ens rationis. Sed perfectio limitata est „positive talis“, ut eius positiva taleitas excludat ulteriorem positivitatem, seu est fundamentum pro hoc ente rationis, quod est negatio. Thomismus decipitur hic in hoc, quod non-ens, quod est ens rationis, confunditur cum eius fundamento, quod est ens reale.

3) Confunditur negatio ulterioris perfectionis cum negatione omnis perfectionis.

4) Illicite concluditur ex „non-inclusionem“ ad „exclusionem“ et a fortiori ex pari non-inclusionem limitationis a se tum limitationis ab alio ad exclusionem tantum limitationis a se.

5) Distinguo: perfectio qua perfectio non est formuliter ipsa negatio perfectionis — Concedo, non est fundamentum pro tali negatione — Subdistinguo: eiusdem perfectionis — Concedo, non eiusdem sed ulterioris — Iterum subdistinguo: explicite et distincte — Concedo, implicite et indistincte — Nego.

Explico distinctiones, quae multae sunt ideo, quia argumentum thomisticum multa vitiosa supposita continet. Primo fallaciose dicunt thomistae limitationem esse negationem perfectionis, nam iuxta sensum communem limitatio est negatio perfectionis ulterioris in perfectione. Limitatio non est confundenda cum simplici et absoluta negatione totius entis. Secundo falso supponunt thomistae perfectionem qua perfectionem esse quid univocum et unicum, cum dicant actum esse de se infinitum. Suppositum est evidenter eleaticum. Perfectio

ut sic est aliquid analogum et qua analogum actu, licet implicite et confuse, includit pluralitatem terminorum. Iamvero pluralitas implicat finitudinem. Ergo falso supponitur actum esse de se infinitum. Explicite et distincte perfectio ut sic non dicit finitum vel infinitum, sed ab utroque abstrahit abstractione imperfecta. Proinde abstractio haec nullo modo sine petitione principii explicari potest in favorem solius infiniti. Econtra quoad nos clarior et certior est possibilitas finiti quam infiniti et ideo sunt in mundo athei, qui Actum Infinitum sincere negant. Sed psychologicè difficilis esset atheismus, si pateret actum de se esse infinitum. Procul dubio thomistae decipiuntur in tractatu de actu ut sic difficultatibus tractatus de ente ut sic. Difficultates enim eleaticas conceptus entis ut sic applicant ad conceptum actus ut sic, quod ostendit eos confundere actum ut sic cum ente ut sic. Revera, de ente ut sic eodem modo disputare liceret ac thomistae disputant de actu ut sic. Nempe: ens ut sic non est negatio entis, limitatio vero est negatio entis, ergo in ente ut sic non includitur negatio-limitatio, ergo ens ut sic est infinitum, unicum etc. Si thomistae hanc comparisonem actus ut sic cum ente ut sic fecissent, principium limitationis nunquam posuissent. Etenim non indiget tali principio, qui scit *p r a e t e r* ens ut sic nihil dari et ipsum ens ut sic qua analogum actu licet implicite pluralitatem diversorum inferiorum continere. Nam quid aliud est multa diversa actu implicite in ente ut sic contineri, nisi consequenter limitationem in ente ut sic implicite includi?

In specie contra demonstrationem Garrigou-Lagrange haec dici possunt: 1) Garrigou-Lagrange committit apertam petitionem principii, quae ceterum contra ipsum retorqueri potest. Nempe petitio principii est affirmare actum esse de se illimitatum. Quae affirmatio facile retorquetur. Nam si actus est de se illimitatus, est de se Deus. Atqui Deus neque a se neque ab alio limitari potest. Proinde haec conditionalis propositio Garrigou-Lagrange: „si actus v. g. esse limitatur de facto...” supponit aliquid absurdum. Nam si esse est de se esse infinitum, est de se esse divinum. Iamvero absurdum est supponere tale factum, ut

divinum esse limitetur. Itaque ratiocinium Garrigou-Lagrange aequivalet huic ratiocinio: „si Deus limitatur de facto, (sed non a seipso, prout secundum se est illimitatus, ergo limitatur per aliud“. 2) Garrigou-Lagrange non videt hoc „aliud“ limitans actum infinitum implicare et praesupponere tanquam suam causam formalem praeviam limitationem actus infiniti a seipso. Secus istud „aliud“ limitans esset aliquod ens a se ad instar principii manichaei, aut limitatio infiniti non esset causa formalis finiti.

Sub data explicatione possumus in forma ad argumentum Garrigou-Lagrange respondere ita: Nego maiorem, quam et retorqueo. Similiter nego probationem maioris praemissae, scil. quod „constet“ de infinitate tou esse, quam pariter retorqueo. Nego minorem, scil. quod potentia sit causa limitationis actus, nam tunc potentia esset causa suiipsius.

Ideo etiam sic dicta „solutio“ difficultatis parmenideae, per quam Garrigou-Lagrange thesim thomisticam confirmare sperat, est insufficiens. Dicit enim Garrigou-Lagrange: „Respondetur. Praeter esse est capacitas realis ad esse et limitans esse“. Jamvero tale dictum distingui potest ita: Praeter esse (de se infinitum) est capacitas realis deducta ex hoc esse Concedo, non deducta ex hoc esse Nego. Patet capacitatem deductam ex esse non esse ita „praeter“ illud esse (in sensu parmenideo), ut possit illud limitare. Est fortassis praeter hoc esse, sed post deductionem sui, non vero ante hanc deductionem. Capacitas illa est ante deductionem suam in esse contenta saltem virtualiter vel eminenter, ergo in illo statu non est „praeter“ hoc esse. Si autem non est vere „praeter“ esse, non verificatur conditio Parmenidis, quam Garrigou-Lagrange admisit, quare capacitas realis difficultatem solvere non potest. Capacitas iam deducta ex esse debet explicari, quomodo ex hoc esse deducta sit: mediante alia capacitate vel sine tali mediatione. Mediatio capacitatis in infinitum regreditur, negata autem tali mediatione esse a seipso limitari admittitur saltem ad gradum istius primae capacitatis. Quaeri utique potest, cur esse non limitetur ita a seipso etiam ad ceteros omnes gradus entium. Inutile est addere capacitatem

realem, quae ex esse non sit deducta, evadere principium manichaeum.

Contra argumentum Boyer dicendum est illud falso supponere conceptum adaequatum actus ut sic esse univocum, non vero analogum. Praeterea Boyer videtur falso confundere limitationem ipsam, quae est ens rationis cum fundamento huius limitationis, quod est ens reale. Si enim actus ut sic est analogus, tunc in eius definitione potest actu saltem implicite includi fundamentum limitationis, licet ipsa limitatio, quae est ens rationis, in ea explicite non exprimatur. Jam supra pluries diximus in quaestione de actu ut sic repeti difficultates eleaticas circa ens ut sic. Etiam in definitione vel in conceptu adaequato entis ut sic non includuntur explicite et distincte inferiora entis (v. g. ens a se et ens ab alio). Cur inde Boyer non concludit haec inferiora entis inveniri „extra“ ens entique „aliunde“ advenire? Sicut conceptus entis ut sic est adaequatus, sed abstractus abstractione imperfecta, ita conceptus actus ut sic est adaequatus, sed abstractus abstractione imperfecta. Jamvero abstractio imperfecta tantum imperfecte separat notionem communem a differentiis. Proinde ex non inclusione differentiarum in statu explicita abstractionis non licet concludere non inclusionem etiam in statu implicito realitatis. Obiectivitas cognitionis humanae minime exigit, ut modus quo cognitionis transferatur in id quod rei vel ut explicitum identificetur cum implicito. Consequenter verum est actum ut sic dicere „tantum“ perfectionem, sed perfectionem analogam, i. e. perfectionem, quae de se diversificata potest esse fundamentum sive limitationis sive illimitationis. Perfectio ut sic nequit dici „illimitato“ vel „limitatio“, cum explicite ab utraque abstrahat, licet utramque ratione fundamenti implicite includat. Petit principium, qui supponit perfectionem ut sic includere nonisi illimitationem. Hoc supposito statuitur, utique gratis, loco analogiae eleatica univocitas actus ut sic.

Quibus dictis quaedam maioris momenti praemissae in argumento Boyer solvi possunt ita: Nego suppositum adaequatum conceptum actus esse univocum. Deinde distingo: Limitatio qua talis est extra conceptum adaequatum actus Concedo,

fundamentum limitationis est extra conceptum adaequatum actus Subdistinguo: explicite et distincte Concedo, implicite et confuse Nego. Ad probationem minoris respondeo: Distinguo maiorem: conceptus actus... non dicit nisi perfectionem analoge Concedo, univoce Nego. Contradistinguo minorem: Sed quod non dicit nisi perfectionem univoce, non includit limitationem perfectionis Concedo, quod... analoge, non includit limitationem perfectionis Subdistinguo: formaliter Concedo, fundamentaliter Iterum subdistinguo: explicite Concedo, implicite Nego. Ad rationem additam: „Nam limitatio non est perfectio“ respondeo distinguendo: limitatio qua talis seu formaliter Concedo, fundamentum huius limitationis seu limitatio fundamentaliter Nego.

Contra argumentum Arnou similes omnino distinctiones adhibendae sunt. Nempe: Id quod de se dicit tantum perfectionem univoce, de se nullo modo dicit negationem eiusdem perfectionis seu sui limitationem Concedo, id quod de se dicit tantum perfectionem analoge Subdistinguo: de se nullo modo dicit negationem qua talem seu formaliter eiusdem perfectionis Concedo, fundamentum negationis perfectionis non eiusdem sed ulterioris Iterum subdistinguo: explicite Concedo, implicite Nego. Contradistinguo minorem: Atqui actus de se dicit tantum perfectionem univoce Nego, analoge Concedo. Pariter distinguo consequens: ergo actus de se nullo modo dicit negationem qua talem seu formaliter eiusdem perfectionis Concedo, fundamentum negationis perfectionis non eiusdem sed ulterioris Subdistinguo: explicite Concedo, implicite Nego. Apud Arnou hae duae fallaciae sunt praesertim denuntiandae: 1) petitio principii actum esse perfectionem univoce, nempe perfectionem infinitam, 2) aequivocatio termini „limitatio“, qui apud Arnou significat non negationem perfectionis ulterioris, sed negationem eiusdem perfectionis. Nonnisi in his fallaciis nititur apparenter elegans apud Arnou resolutio argumenti ad principium contradictionis: „Secus, quatenus est actus seu perfectio, negaret perfectionem, i. e. non esset perfectio“. Sed revera consequentia haec non valet, nam actus quatenus est actus potest propter suam analogiam

implicite et confuse dicere perfectionem, quae neget perfectionem ulteriorem, i. e. potest esse perfectio tanta et non maior. Conceditur igitur Arnou actum non dicere nisi perfectionem hoc sensu, quod in recto actus semper dicat fundamentum perfectum sive illud in obliquo connotet aliquam negationem sive non. At negatur actum non dicere nisi perfectionem hoc sensu, quod actus dicat solam perfectionem infinitam, quae a priori excludat omnem connotationem negationis. Quis non videt actum in hac secunda acceptione respuere non solum limitationem a se, sed etiam omnem limitationem ab alio?

Contra argumentum Dezza exacte idem repetendum est. Actus de se dicit aliquam perfectionem sine limite, i. e. excludendo limitem Nego, i. e. abstrahendo a limite Subdistinguo: perfecte Nego, imperfecte Concedo. Contradistinguo minorem: Atqui si actus *excludens* limitem a seipso limitaretur, simul diceret et negaret idem secundum idem Concedo, si actus *abstrahens* a limite a seipso limitaretur, simul diceret et negaret idem secundum idem Contrasubdistinguo: si actus abstrahens *perfecte* etc. Concedo, si actus abstrahens *imperfecte* etc. Nego. Insuper retorqueo conclusionem Dezza: (actus in quo ordine est actus, „*d e b e t l i m i t a r i a b a l i o*“) ita: Deus est actus, ergo „debet“ limitari ab alio!

Contra argumentum Gretd distingendum est: actus est perfectio univoce Nego, analoge Concedo, ergo ex se non dicit limitationem qua talem Concedo, fundamentum limitationis Subdistinguo: explicite Concedo, implicite Nego.

Contra argumentum Remer-Gény pariter dicendum est: Perfectio enim si absolute, seu in se spectatur, non dicit explicite quod sit haec et non alia, nec quod sit tanta et non maior Concedo, non dicit implicite... Nego. Nam perfectio ut sic abstrahit a differentis abstractione imperfecta.

Contra argumentum Rozwadowski similiter ac supra distinguere oportet: Hoc positivum, quod fundat negationem perfectionis in perfectione, non potest esse actus in quantum actus univoce acceptus Concedo, analoge acceptus Subdistinguo: explicite Concedo, implicite Nego. Nam actus est perfectio uni-



voca Nego, analogia Concedo, et perfectio in quantum perfectio non dicit negationem perfectionis qua talem Concedo, fundamentum negationis perfectionis et quidem ulterioris Subdistinguo: explicite Concedo, implicite Nego. Apud Rozwadowski hoc est mirabile, quod ipse ex una parte expressis verbis admittit analogiam actus ut sic et distinguit in eo rationem explicitam, quae non importat differentias et ideo per se in I-o modo dicendi per se seu ex parte subiecti nullam imperfectionem includit, et rationem implicitam, quae importat differentias et ideo per se in I-o modo dicendi per se seu ex parte subiecti includit imperfectionem, et ex altera parte „limitationem actus a seipso“ admittere non vult. Haec enim secum conciliari nequeunt. Nam si actus ut sic est de se analogus, ita ut implicite differentias includat, eo ipso est de se (utique implicite) etiam limitatus. Differentia enim seu diversitas in perfectionibus absolutis, ut ipse Rozwadowski expresse dicit<sup>1)</sup>, necessario limitationem in aliquo diversorum importat. Quae cum ita sint, problema de limitatione actus evadit apud Rozwadowski omnino otiosum. Rozwadowski similis est homini, qui aquam in flumen portaret, vel ianuam apertam denuo aperiret. Meritum est tamen Rozwadowski, quod ipse primus analogiam actus ut sic expresse et clare affirmavit et quasdam distinctiones entis ut sic (explicita et implicita inclusio differentiarum) ad actum ut sic applicavit. Licet consequentem inde otiositatem et vacuitatem problematis de limitatione ipse non animadverterit, tamen modum, quo argumentum thomisticum solvi possit, aliis suggerit.

Problema de limitatione actus non oritur nisi in supposito eleatico to esse dici univoce (*ἀπλως*), non vero analogice (*πολλαχως*). Sed concesso hoc supposito nulla iam restat solutio, nisi eleatica: pluralitas rerum diversarum est illusio. Nam ipsamet distinctio inter ens potentiale et ens actuale impossibilis est in supposito eleatico ens dici univoce. In tali supposito inintelligibile esset aliquid „medium“ inter ens et purum nihilum. Ens univoce dictum non posset praedicare de potentia, quae

<sup>1)</sup> op. cit., VIII., 215—216.

igitur esset non ens simpliciter seu purum nihilum. Aristotelica distinctio entis potentialis et entis actualis praesupponit tamquam logice et ontologice priorem analogiam entis ut sic. Supposita analogia entis ut sic non iam repugnat a priori distinctio actus et potentiae, sed etiam a priori non patet; distinctio actus et potentiae debet aliunde probari (v. g. ex motu). Sola analogia entis ut sic destruit fundamentum eleaticum, in quo nititur eleatica negatio diversitatis et pluralitatis rerum. Proinde cum supposita analogia entis nihil opponatur pluralitati, diversitati rerum (utique in ordine purae possibilitatis intrinsecae), problema de limitatione actus, quod tam multum neothomistas occupat, apparet omnino otiosum ac vacuum. Perfectiones quaedam sunt de se limitatae seu finitae, quia perfectio ut sic est de se analoga. Ergo petitio principii est postulare, ut perfectiones limitentur seu finiantur solum per compositionem cum potentiis. Nam hucusque thomismus non demonstravit repugnare perfectionem finitam, quae cum nulla potentia componatur. Demonstratio thomistica, quae de facto, a recentioribus discipulis S. Thomae datur, manifestis fallaciis laboret.

Ita v. g. fallacia latet in conceptu ipsius potentiae limitantis. Nam quaestio debet poni de deductione eius. Cum enim potentia non sit nes a se, respondendum est, unde ea et quomodo deducatur (utique in ordine purae possibilitatis intrinsecae). Thomistae generaliter deducunt potentiam ex ipso actu, qui in ordine absoluto possibilitatis interna est saltem natura prior. In illo ordine absoluto possibilitatis potentia consideratur tamquam „p a r t i c i p a t i o“ quaedam et „i m i t a t i o“. Actus et hoc recte, nam secus evaderet principium manichaeum. Sed iuxta thomismum omnis participatio est „l i m i t a t i o“. Ergo quaeri potest, quomodo actus ad gradum huius potentiae limitetur: a seipso vel mediante alia potentia. Si 1-um, ruit principium thomisticum actum non limitari nisi per potentiam. Si 2-um, renovatur quaestio et fit regressus in infinitum, qui falsitatem hypothesis ostendit. Thomismus limitationem actus mediante potentia explicare non valet, quia non valet explicare deductionem ipsius potentiae ex actu. Sententia suareziana

econtra istas difficultates facile evitat, quia ad mediationem potentiae non recurrit, sed omnia immediate ex actu infinito deducit per *Virtutem et Immitabilitatem* eius. Actus finiti sunt de se effectus et imitationes actus infiniti, ergo sunt etiam de se finiti: quaestio de eorum finitudine est in *suaresianismo omnino otiosa, cum iuxta hoc systema actui ut sic infinitas nullo modo debeatur.* -

Praeterea thomismus non explicat diversitatem potentiae. Ex thomistica definitione nominali potentiae non eruitur nisi conceptus privationis actus. Sed non patet, cur sint possibiles gradus et multiplicitas in ista privatione actus. Ideo nonnulli thomistae aut committunt circulum vitiosum explicando diversitatem potentiae per diversitatem actus et vice versa diversitatem actus per diversitatem potentiae, aut loquuntur de „*mysterio infinitatis deficientiae*“ aut contenti sunt pura affirmatione potentiam per seipsam limitari, i. e. diversificari aut ipsam quaestionem tangere nolunt dicendo potentiam esse litem, qui proprie non limitatur. Sed patet non explicata diversitate principii limitantis non explicari diversitatem principiatorum limitatorum. Sententia suaesiana rursus et hanc difficultatem evitat, quia negligendo mediationem potentiae omnem diversitatem reponit in imitabilitate et virtute Actus Infiniti, quae ulteriorem explicationem non exigunt.

Praeterea fallacia latet in thomistico termino „limitatio“. Limitatio apparenter accipitur pro transitu ex maiore quantitate ad minorem, qui divisionem eiusdem numerice quanti implicat. Causa dividens assignatur a thomistis potentia subiectiva recipiens. Sed de facto actus de se infinitus non videtur posse pati talem limitationem, quae „*transitum*“ seu „*divisionem*“ implicet. Ideo nonnulli auctores evacuant hunc conceptum limitationis, quam putant vulgarem, et „*philosophico*“ utuntur, qui non nisi „*mutuam compositionem*“ significare debet. Sed quis non videt limitationem in sensu vulgari acceptam non attingere infinitum, limitationem autem „*philosophice*“ acceptam non esse nisi petitionem principii, quae pariter cum infinitate actus ut sic conciliari ne-

quit? Difficultates istas facile evitaret opinio, quae praeter limitationem relativam ex divisione admitteret limitationem absolutam seu simplicem finitudinem, ubi nullus implicatur transitus vel divisio et ubi nulla infinitas praesupponitur, nam actus intelligitur a se limitatus, i. e. simpliciter finitus, cum infinitas ei non debeatur.

Praeterea fallacia est dicere actum esse de se infinitum et nihilominus esse limitabilem ab alio. Quam fallaciam non tollit distinctio duarum vel plurium infinitatum, quarum una non possit limitari ab alio, altera autem possit limitari ab alio. Nemo non videt actum vere infinitum neque a se neque ab alio limitari posse, actum autem non verè infinitum vera limitatione non indigere.

Praeterea fallacia est confundere actum essendi ut sic cum actu essendi tali, i. e. contradistincto ab essentia, aut ex uno conceptu in alterum subreptitè saltare. Actus ut sic si est infinitus, ab essentia contradistingui requirit, si autem contradistinguatur a sua essentia, iam de se infinitus dici nequit. In thomistica quaestione de limitatione actus est hucusque incertum, utrum actus ut sic sit idem ac ens ut — sic, quamvis ibi sermo sit promiscue tum de limitatione actus tum de limitatione entis.

Praeterea discordia thomistarum in explicanda limitatione perfectionis angelicae, quorum argumenta se mutuo destruunt, contradictionem internam principii limitationis ad oculos monstrat.

Principium limitationis tot tantisque fallaciis laborans nequit dici metaphysicum. Ex imaginatione natum posset fortassis ad obiecta imaginationis applicari (vas et aqua), sed in contradictiones incidit, dum obiecta imaginationis transcendit et ad esse ut sic se extendere vult. Latissime seu metaphysice acceptum primam finitudinem explicare non valet et nihil aliud potest nisi philosophiam scholasticam risui exponere.